This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DG
89
.R615

DE LEGIONE ROMANORUM

92064

X GEMINA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EMIL RITTERLING

LIPSIENSIS.

LIPSIAE 1885.

received and read Sept. 1, 1926 EM

VICTORI GARDTHAUSEN

SACRUM.

Legiones aetatis imperatoriae nimium quantum ad omnes imperii Romani res cum pace tum bello valuisse, et maximi momenti esse quam accuratissime nos scire, quot legiones simul in quaque provincia tetenderint, quae in quaque castra occuparint quibusnam bellis externis domesticisve perfunctae sint, omnes viri docti haud ignorant. Quamquam vero universa legionum historia, quae quidem usui apta adhiberi possit ad omnes quaestiones, ut perficiatur, fieri non posse apparet nisi singulis legionibus antea pertractatis, tamen, licet sagacissime quaedam et elegantissime observata passim prolata sint, perpauci[1]) tantum viri de singulis legionibus omnia quae aut tradita sunt aut conici possunt, in unum congerere studuerunt: hoc de legione X gemina facere, quod mihi propositum est, quamvis verendum, ne multis viris doctis temere egisse videar, corporis inscriptionum latinarum volumine tertio decimo Germaniarum titulos, qui ad omnes fere legiones pertinent, complexuro nondum in lucem edito, tamen nihilosecius initium faciendum censui: neque enim materies, quae iam exstat, adeo exigua est, ut de singulis rebus iudicium ferre nondum liceat, neque adeo iam congesta vel pertractata, ut quicquam rectius statui posse plane desperandum esse videatur.[2])

---

1) Ut Fiegel: Historia legionis III Augustae Berlin 1882, diss. inaug.; Boissevain in libro infra laudato historiam legionis VII geminae composuit; Wieneri libellus: De legione Romanorum XXII, Darmstadt 1822, iam obsoletus est.

2) libri atque fontes, quibus potissimum uti licuit, hi fere sunt: corporis inscriptionum latinarum voll. I—X (solo voluminis numero notantur) cum Ephemeridis epigraphicae voll. I—V (Eph.), Brambachii corpus inscriptionum Rhenanarum (Bramb.), Wilmans: exempla inscriptionum latinar. (Wilm.), Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande (B. Jahrbb.) — Grotefend: „legio“ in Pauly Realency. vol. IV (Grot. Paul. IV), Aschbach: „Beiträge zur Geschichte der leg. X gem.“ in „Berichte des Alterthumvereins zu Wien“ V. 1861, p. 245—258 (Aschb. leg. X g), quae dissertatio in iudicium vocata est a Fr. Rittero in B. Jahrbb. XXXVI, 1864 p. 129—153; Aschbach: „Die römischen Legionen I und II adiutrix“ in Sitzungsber. der Wiener Akademie XX, 1856

Qua via et ratione in hac disputatiuncula procedendum sit, ex ipsa rerum natura sequitur: primo enim capite iis absolutis quae de origine legionis et nominibus dicenda sunt, provinciae tres, in quibus legio deinceps collocata erat, singulis singulae capitibus pertractandae erunt: in quibus videndum, primum, quo tempore legio in provinciam missa et quamdiu ibi morata sit, deinde, in quibus castris tetenderit et quas stationes defenderit, denique, quibus expeditionibus vel bellis interfuerit.

---

p. 290—337 (Aschb. leg. I et II adi), Borghesi „sulle iscrizioni del Reno" in oeuvres complètes vol. IV p. 181—265 (leg. X gem. p. 224 et 225); Boissevain: de re militari Hispaniarum provinciarum aetate imperatoria, Amstel. 1879 (post duas demum partes absolutas in manus venit). Pfitzner: Geschichte der römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrian, Leipzig 1881 (Pf.)

[Tituli legionis X, qui libello adiecti sunt, laudantur littera „n" et numero.]

CAPUT I.

De origine et nominibus leg. X gem.

§ 1 De origine legionis.

Ex iis legionibus, quae inde ab Augusto per aetatem imperatoriam exercitum perpetuum efficiebant, eas quae minore numero quam XIII insignitae erant, non ab Augusto demum post victoriam Actiacam esse conscriptas, sed iam antea sub eius aut Antonii aut Lepidi signis militasse inter omnes fere constat.[1]) Quibus de legionibus, cuius quaeque antea imperatoris fuerit, a quo creata, quando constituta sit, cum semper operae pretium esse videtur inquirere, tum nulla, in quam eiusmodi labor impendatur, dignior est quam legio X, quippe quae prae se ferat eundem numerum atque praeclarissima illa Gallica, quam Caesar dictator ob summum sui studium et ob singularem virtutem in externis et in civilibus bellis amplissime probatam[2]) semper praeter ceteras diligebat. Itaque utrum legio X gemina aliquomodo cum X veterana Caesaris coniuncta fuisse videatur necne, examinaturis nobis anquirendum est, quae haec etiam post Caesarem mortuum gesserit et adquodusque bellorum civilium tempus exstitisse putanda sit.[3])

---

1) Mommsen: R. g. d. A² p. 68 sqq.

2) cf. Caes. b. g. I 40, 11, II 21, 1, 26, 4; IV 25, 3; VII 47, 1, 51, 1, Plut. v. Caes. c. 19, Frontin Strat. I c. 11 § 3, Dio XXXVIII c. 46.

3) minus recte dicit Momms: Syb. Hist. Z. (N. F.) II p. 8 „nach Beendigung des Krieges (a. 46) wurden die ältesten dieser Legionen (der Cäsarianischen) namentlich die 9 gallischen wohl sämmtlich aufgelöst;“ nam ut mittamus legionem X (l. infr. l.), quam Gallicam fuisse apparet praecipue collato App. b. c. III 83, legio XII Caesaris patris sub Octaviano militavit, cognominata „Paterna“ fortasse etiam post bellum Actiacum cf. Henz. bullet. 1867 p. 177 sqq., Wilm 1448.

I. Quod in epistula apud Cic. ad famil. X, 11, 2 data in Allobrogibus VI. idus Maias a. 711/43 scribit L. Munatius Plancus, qui Galliam Lugudunensem Aquitaniamque a Caesare administrandas acceperat: „si vero legio X veterana, quae nostra opera revocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit" e. q. s., eo demonstratur legionem X tum fuisse sub Planci signis; sed legionem quae inter diem decimum mensis Mai et finem eiusdem mensis necesse est deseruerit eum, qui mense Martio quinque[1]), mense Maio quattuor legiones habebat[2]), fuisse ipsam X veteranam, concludere licet ex Appiano b. c. III 83 narrante, legionem X veteranam in castris M. Aemilii Lepidi, qui Hispaniae citeriori et Galliae Narbonensi praeerat, sua maxime opera effecisse, ut Antonius et Lepidus III. kal. Junias sine ulla dimicatione exercitus suos coniungerent:[3]) hoc verum esse eo confirmatur, quod Plancus ipse (Cic. ad famil. X, 11, 2), tale quid legio illa ne factura esset, iam timebat.[4]) — Legio igitur X Antonium

---

1) Cic. ad fam. X, 8, 6: „legiones habeo quinque sub signis."

2) Cic. ad fam. X, 15, 3: „ipse maximis itineribus cum quattuor legionibus expeditis . . . . . subsequar;" totidem Planco adscribit D. Brutus, cum quo exercitum coniunxerat (Cic. ad fam. XI, 13a. 4, data IV. nonas Junias) et ipse consentit (Cic. ad fam. X, 24, 3, data V. kal. Sextiles).

3) cf. Cic. ad fam. X, 23, 2.

4) Iam apparet, Appianum, qui b. c. III 97 Plancum cum tribus legionibus ad Antonium venisse tradit falsum esse (idem de Asinii Pollionis legionibus duabus (III 97) valet, cum ei iam VI. idus Junias tres fuerint, (Cic. ad fam. X 24, 3). Appianus sane hoc loco Planco et Pollioni attribuit temere totidem legiones quot III 46, ubi res quae ante proelium Mutinense erant percurrit. Sed ne hic quidem numeri veri esse possunt: Plancus cum habuerit mense Martio legiones quinque (Cic. ad fam. X. 8, 6), sub finem mensis Quintilis, postquam X veterana ad Lepidum transfugit, tris veteranas, unam tironum (Cic. ad fam. X, 24, 3), efficitur, ut initio acceperit veteranas quattuor, postea autem unam tironum conscripserit (cf. Cic. ad fam. X, 8, 4 „aucto exercitu"); Asinii legiones quamquam certo computare non possumus, tamen verisimile est omnes fuisse veteranas, scil. XXVIII, XXX et fortasse XXI. Itaque hoc loco Appianus ut saepius legionum numerum non tam certo testimonio nisus perhibuisse videtur, quam e numero alio, quem in fontibus invenit, de suo ipsius ingenio computasse, quod compluribus locis demonstrari potest. Sed hic talis error eo magis offendit, quod Appianum ex Asinii libris historicis hausisse putatur (cf. in universum de Appiani non ita magna fide: Peter: Philol. VIII p. 429—38, Drumann R. G. I. p. 364). — Difficultates, quae in scriptorum discrepantia sitae esse videntur, fortasse dissolvantur, si liceat putare, Plancum revera initio tris legiones cum provincia accepisse, unam conscripsisse; decimam, quae forte aut in coloniam deducta erat (Narbo Martius

qui sex legiones et eas plerasque tironum in Gallia reliquit, septendecim autem secum duxit (Plut. v. Ant. c. 18), in Italiam secuta, quo eius studio ardebat, quin in Macedoniam quoque ad bellum contra Cassium et Brutum gerendum traiecta sit, non dubitandum est: nam triumviri maximis copiis hostium, qui nisi viribus validissimis et militibus belli peritissimis pervinci non posse viderentur, maxime legiones, quas habebant veteranas, obicere voluerunt. Bello vero feliciter patrato cum veteranis agri ab imperatoribus promissi adsignarentur, legio quoque X veterana in coloniam deducta esse videtur, fortasse Cremonam, quam a. 713/41 a triumviris veteranis attributam esse constat.[1]) Legio enim X Veneria,[2]) cuius exstat Cremonae titulus (V 4191), qui cum litterarum forma et brevi dicendi genere tum eo quod veterani aut militis verbum nondum usurpatur, aetatis triumviralis se esse testatur, si illo tempore Cremonam deducta est, vix alia fuisse potest ac veterana Caesaris, cum, si qua praeter eam, in exercitu Octaviani, legio X erat, haec tum fuerit tironum oporteat neque potuerit in coloniam deduci. Accedit quod cognomen „Veneriae" optime veteranae Caesaris convenit: nam Caesarem Veneris quam suam ipsius proavam esse gloriabatur, etiam in bellis et acie fuisse memorem eiusque nomine in proeliis gravissimis pro tessera usum esse[3]) cum scriptores tradant, legionem fidelissimam fortissimamque vel Caesare vivo cognomen Veneriae, quo prae ceteris honore extolleretur, sibi peperisse, vel eo mortuo illud, quo imperatoris sui quasi monumento admoneretur et ab aliis legionibus distingueretur, sibi assumpsisse, non sine veritatis quadam specie conicere licet.[4])

---

nominatur col. Decumanorum) aut in eo erat, ut deduceretur, denuo ad militiam revocasse sibique adiunxisse; sed cf. Momms. R. G. III[6], p. 553.

1) Momms. (C. J. L. V p. 414 et Herm. XVIII p. 170, Zumpt: Comment. epigraph. I p. 333.

2) legio ex hoc solo titulo nota est; nam „leg. X Vener. mart. ultr." est Ligoriana cf. n. 16*.

3) cf. Drumann R. G. III p. 115 et ll. ib. l.

4) Complures legiones appellatae sunt a nomine dei, cui quaeque maxime erat quasi obnoxia: iam Caesaris tempore fuit legio notissima „Martia" (Cic. Phil. IV, 5, XIV, 32 et V, 28, 46, 53, App. b. c. III 45, 66, 93, IV, 115 et multis aliis locis); aetate imperatoria „Apollinaris" (XV) et „Martia victrix" (XIIII). Simillima nostrae est legio I Minervia, quae hoc cognomen accepit, quia is, qui eam conscripserat, Domitianus (Dio LV, 24, 3), Minervam quam maxime colebat (Suet. v. Domit. c. 4 et 15, Dio LXVII 1, 16, Martial. ep. IV 1; V 2; VI 10; VIII 1.) — Quod nusquam in Caesaris commentariis cognomen occurrit, non demonstrat legionem X cognomine plane caruisse: neque enim legio „Martia"

Legio igitur X, si a. 713/41 revera in coloniam Cremonensem deducta est, quamquam non necesse est ex eo tempore esse desierit prorsusque dissoluta sit, immo verisimile eam denuo convocatam esse ad bellum Perusinum, quod paullo post ortum est, et a parte Antonii vel eius legatorum aut a Caesaris stetisse, tamen certi, quod ad eam referre liceat, nihil traditum est.

II. Itaque cum de legione X Caesaris quid post a. 713/41 factum sit, testimonio nullo demonstretur neque, illa num omnino cum legione aliqua decima, nedum cum qua, coniuncta fuisse videatur, cognosci possit, rebus incertissimis spissaque caligine offusis iam neglectis, in legiones ceteras decimas, quae ante bellum Actiacum fuerint, et ad cuius quaeque triumvirum exercitum pertinuerit, inquirentibus nobis proficiscendum est a loco Suet. v. Octav. c. 24[1]) „decimam legionem contumacius parentem cum ignominia totam dimisit" (sc. Octavianus), „item alias immodeste missionem postulantes . . . . . exauctoravit:" qui cum legionem X ab Augusto plane dimissam esse affirmet, apparet hanc a duabus decimis, quas aetate imperatoria militia functas esse inter omnes constat, utique distinguendam esse. Sed quamquam Suetonius nihil addidit de tempore, quo hoc severe ab Augusto actum est, tamen, quibus in angustiis Caesar proximis post bellum Philippense annis versatus seditiones contumaciasque militum[2]) quin etiam ipsius vitae capitisque pericula,[3]) ex quibus vix aegreque evaserat, expiare vel ulcisci ausus non sit, considerantes, facere non

---

vel „Alaudae" (Suet. Caes. c. 24) umquam apud eum memorantur, et omnino legiones potius numeris, si quidem quos gerunt, quam cognominibus, a scriptoribus indicantur.

1) Hunc locum censeo ad arbitrium interpretatum esse Pfitznerum p. 248, iudicantem eam rem, de qua Suetonius cogitat, eandem esse atque eam, quam enarrat Dio LIV, 11, et utramque ad legionem X geminam pertinere, cum de neutra constet: nam cum Dio tradat, legionem aliquam in Hispania militantem propter ignaviam cognomine, quo gaudebat, „Augustae" privatam esse numero non adiecto, primum mihi quidem videtur aliud esse cognomine privari, aliud plane dimitti; deinde cur in locum „Augustae" continuo cognomen „geminae" acceperit legio, non explicatur. Multo rectius de Dionis narratione disputavit Boissev. p. 8 et 11. Allmer Inscr. d. Vienne I p. 524 sq. nihil certi statuit.

2) Multorum loco pauca adnotare exempla satis visum: Dio XLVIII, 30, 2 et 3 milites Octaviani in Antonium saeviunt atque vix possunt compesci; App. b. c. V, 15: Caesar rebus undique premebatur *διόπερ αὐτῶν* (nempe militum) *καὶ τῆς ὕβρεως ἢ καταφρονήσεως ἐν τῷ τότε ἑκὼν ὑπερεώρα* et c. 16 sq.

3) Dio XLVIII 9, 3: *αἰτίν τε ἐκεῖνον* (Octavianum) *παρ' ὀλίγον ἦλθον* (milites) *ἀποχρήσασθαι.*

possumus, quin legionem illam non ante quam Octavianus hostibus qui maxime urgebant, L. Antonio et S. Pompeio, devictis non iam plane militum voluntati licentiaeque esset obnoxius, certe non ante finem belli Siculi a. 718/36, ignominia affectam atque dimissione punitam esse censeamus.

Deinde vero ex eo, quod legio X Fretensis, si eam cognomen traxisse a freto Siculo, iuxta quod bello aliquid praeclare gessisset vel potius per complures annos stationem castraque habuisset, recte coniecit Mommsenus,[1]) cum bello Siculo interfuerit, Octaviani propria atque principalis legio decima fuisse videtur,[2]) iam colligere licet ceteras duas legiones decimas, et illam exauctoratam et X geminam, ex exercitibus Lepidi a. 718/36 et Antonii a. 723/31 accessisse; nisi

---

1) R. g. d. A² p. 69 et ad V n. 397 [iam Turnebus Advers. XVIII, 10 hoc coniecit cf. Böcking Not. dign. I p. 348 sq.]. Haec derivatio, quamvis non certa, tamen sola videtur esse, quae nec linguae legibus repugnet („fretensis" eodem sensu apud Cic. ad Attic. X, 7, 1) et cognominum rationi congruat; legiones saepissime de locis terrisve cognomen traxisse vix est, quod moneam. Haec coniectura haud dubie praeferenda est ei, quam proposuit Aschb. leg. X g. p. 246 adnot. putans „fretensis" idem esse ac „fortensis" = fortis; primum dubitandum, num hoc per linguae leges liceat, deinde in Not. dign. or. c. 39 legio X fretensis memoratur, cum in eadem (occ. c. 5 n. 2. n. 32; c. 32 A, 5) „Fortenses" inveniantur; locus Ammian. Marc. XVIII, 9, 3 iam correctus est. — Quae contra Mommsenum Pf. p. 8 disputat, falsa sunt cf. infra p. 27 sq.

2) Legiones Octaviani, quae inter bellum Philippense et Actiacum (a. 42—30) memorantur, hae fere sunt: leg. I in bello Siculo (App. V, 112), leg. VI in glandibus Perusinis (Eph. VI n. 71—74), leg. XI in glandibus Perusinis (Eph. VI n. 77 et 78) bello Actiaco (V| 2501, 2503), leg. XII in glandibus Perusinis (Eph. VI n. 79—81) deducta post bellum Siculum Thermas (X 7349), leg. XIII in bello Siculo (App. V 87) leg. XVI (Cohen I² p. 80 n. 187) leg. XX (bullet. 1874 p. 119) [num legio „XXXXI Augusti Caesaris" (bullet. 1880 p. 70 et 72) ad hoc tempus pertineat, dubium]. — Legio X, quamquam non memoratur [glans. I n. 706 est suspecta et loci incerti, et Bergk: B. Jahrbb. LV/LVI p. 55 n. 84, si genuina, potius ad Asculi oppugnationem referenda est cum simillima sit IX 6086, XXII. Alia „CAE MI / LEGX)(fulmen" Perusina falsa est cf. IX 682*a. = Eph. VI n. 19*a], tamen haud dubie Octaviano iam in bello Perusino erat: nam inde a bello Philippensi legiones singulorum exercituum numeris ita continuatae erant, ut legionem XII non posset habere nisi is qui habebat decimam. — Antonii legiones omnes traditae sunt nummis ante bellum Actiacum cusis, cf. Momms. R. g. d. A² p. 75, adnot., Cohen I² p. 41 n. 26—65, p. 45 n. 80, p. 46 n. 83, leg. X: Coh. I² p. 41 n. 38. — Lepidus ex Africa in Siciliam duodecim (Vellei. II 80) vel plures (App. V, 123) legiones transduxit, inter quas decima fuerit necesse est.

forte quis Caesarem iam ante Lepidi exercitum sibi adiunctum complures legiones iisdem numeris insignitas habuisse contendit. Sed utra legio utrum ad exercitum pertinuerit, cum certo diiudicari nequeat, acquiescendum est eo, quod legio X gemina aut ex Lepidi aut ex Antonii castris ad Octaviani partes transgressa esse videtur. Atenim legio X gemina, quae ipso cognomine significet se ex duabus illis legionibus decimis, Antonii et Lepidi, esse conflatam, reliquiis legionis alterius, quae dimissa erat, alteri immixtis, quodammodo utrique successisse putanda est. Sed quamvis verum sit, cognomen illud indicare legionem conglutinatam esse ex duabus,[1]) ab omni probabilitate abhorret, harum fuisse utrique „decimae" nomen: primum enim plane incertum est, utrum legio X iam in exercitu, cuius antea erat, eodem cognomine insignita fuerit, (quod si statuis, neutram earum, ex quibus „gemina" composita est, decimum numerum antea gessisse cogitari potest), an ab Augusto demum post bellum Actiacum aut etiam postea cognomen acceperit (quod si verum est, altera certo fuit decima; nam aliter, cur legioni conglutinatae ipse numerus „decimus" impositus sit, intellegi nequit); deinde ceteras legiones, quae „geminae" vel „gemellae" appellatae sunt, plerumque demonstrari potest ne posse quidem conglutinatas esse ex legionibus, quarum utraque eundem numerum habuerat.[2]) Quae si recte disputata sunt, legio X gemina nulla ratione coniuncta fuit cum ea, quae apud Suetonium memoratur, neque si haec inter aa. 718/36 et 723/31 (nam tum tres legiones decimae Octaviani non erant) neque si post Actiacum demum bellum exauctorata est,[3]) quod quominus statuamus nihil, quantum

1) Caes. b. c. III 4, 1 (Pompeius) effecerat . . . . . unam ex Cilicia veteranam, quam factam ex duabus gemellam appellabat; cf. Dio LV, 23; et Boiss. p. 41—43.

2) Legioni VII a Galba conscriptae, quae iam a. 832/79 appellatur „gemina" (II 2477), constat immixtas esse reliquias legionum Germanicarum a Vespasiano exauctoratarum vel I Macrianae, in quibus non erat septima (Boiss. p. 44 sq.); idem valet de leg. VI gemella (IX 2648, Eph. IV p. 348 n. 942) aetatis imperatoriae, cui reliquiae legionis sextae adiunctae esse non possunt, quia numquam legio hoc numero insignita exauctorata est. A legionibus XIII et XIIII geminis potius nos abstineamus, quippe quarum origo parum certa sit; neque enim probari potest Momms. R. g. d. A² p. 73 adn. 1, neque Bramb. praef. p. X adn.

3) hoc non licet eo confirmare, quod Patris, quo legiones a. 738/16 deductae sunt (C. J. L. III p. 95; neque assentiendum Zumptio Comm. ep. I p. 375, 379 adn. 1, qui Eusebii testimonium repudiat), repertus est titulus leg. X EQV (III

video, obstat, ita ut Augustus per aliquantum temporis habuerit simul tres legiones decimas, ut etiam postea erant tres tertiae.[1]) — Itaque a meris coniecturis nos abstinentibus[2]) concedendum est plane ignorari et, utrum legio X gemina legionem X Caesaris patris excepisse putanda sit necne, et, cui exercitui ante bellum Actiacum attributa fuerit, atque hoc tantum affirmandum, verisimillimum esse eam non fuisse inde ab initio Octaviani, sed Lepidi aut Antonii.

§ 2 De nominibus legionis

I. Cum cognomen „gemina" quid significet, supra breviter perstrinxerimus, restat ut quaeramus, inde a quo tempore legio ita appellata esse videatur. Et sub Augusto eam cognomen iam gessisse probant tituli n.n.n. 11. 12. 13; ad ipsa Augusti initia fortasse adducit titulus n. 10, certo aetatis Augusteae, L. Blatio cuidam, qui fuit tribunus legionis V et X gem., Hispali positus: quem hominem quamquam minime certum est, quod posuit Pf. p. 102, tribunum veteranis leg. V et X Hispali ad agros dividendos praefuisse,[3]) hoc tamen perspicuum esse videtur, illo tempore legiones memoratas aliquo modo coniunctas fuisse, in eadem provincia, nempe Hispania, tetendisse, eidem bello una interfuisse; et cum necesse sit, legionem V iam ante a. 738/16, quo anno in Germania, ubi usque ad a. 823/70

508); haec enim legio fortasse non distinguenda est ab alterutra legione X aetatis imperatoriae, cum sub Augusto eaedem legiones saepius diversis cognominibus praeditae inveniantur: ut VIIII Mac. (III 551) = VIIII Triumph. (V 397) = VIIII Hisp.; XII Paterna (Wilm. 1448) = XII Fulminata (?), aliae. Momms. R. g. d. A² p. 69 in dubio relinquit, utra X Patras deducta sit, Boiss. p. 7 adn. 1 putat eam fuisse Fretensem.

1) cf. Fiegel Hist. leg. III Aug. Berl. 1882 p. 8.

2) Si quis forte coniciat, legionem ab Augusto exauctoratam fuisse veteranam Caesaris, quod Suet. l. l. eam numero addito, ut celebrem praeter ceteras quae et ipsae dimissae erant, extulerit, et quod quidquid ab illa in Augustum peccatum est, optime referre videatur mores legionis fortissimae quidem et prae ceteris dilectae, sed eam ipsam ob causam ferocis et militiam deprecantis (Suet. Caes. c. 70. App. b. c. II 94), quam facile sit scriptoris verbis subicere sententiam, de qua ipse minime cogitavit, non neget. — Etiam Caesarem, cum legiones Lepidi sibi adiunctas plurimas dissolveret (Momms. R. g. d. A² p. 74), decimam, cum semiplena esset (Vell. II 80), ex aliis suppletam „geminam" appellasse, qui suspicatur, neque erroris plane convinci neque sententiam ad quandam veritatis speciem adducere poterit.

3) nam Hispalim coloniam, quae a Caesare deducta erat, (cf. C. J. L. II p. 152 sq.) ab Augusto suppletam esse non traditur.

permansit, clade Lolliana aquilam amisit, (Vell. II 97), Hispaniam reliquisse,[1]) efficitur, ut L. Blatius in legionibus V et X gem. militaverit ante a. 738/16. Itaque licet fortasse statuere, legionem X iam initiis Augusti, tempore belli Cantabrici (aa. 727/27 — 738/16) appellatam fuisse geminam.[2])

Hoc cognomen quamvis mature legioni impositum, quod etiam multo post in titulis omittitur, partim eo explicatur, quod in ipsa provincia, in qua legio X gemina tendebat, cognomine, quo ab altera legione X distingueretur, opus non erat,[3]) partim eo, quod initiis principatus[4]) legionum cognomina, quae pleraque erant castrensia, nondum in publicam firmitatem constantiamque cesserant; ita ut in titulis quolibet loco positis difficile sit, diiudicare, utra legio X significetur, gemina an fretensis. — Aliud cognomen pro „gemina" legionem umquam gessisse, demonstrari nequit, cum tituli, in quibus alia exstare videbantur compluribus viris doctis, aut falsi sint aut male lecti.[5])

II. Aliud cognomen, quod in plurimis titulis praeter „gemina" neque unquam nisi cum hoc coniunctum occurrit, honorificum illud P. F. i. e. „pia fidelis," quo legionem aliquando pie atque fideliter erga principem se gessisse praedicatur, qua in provincia, quo tempore, quo facto legio sibi pepererit et principem,[6]) ut hoc honore se ornaret, beneficii memorem commoverit, nunc quaerendum est.

---

1) legionem V bello Cantabrico interfuisse, verisimile est (cf. Hübner ad C. J. L. II 1176 et p. 307; Pf. p. 102.; et infra p. 35.

2) Quod Pf. p. 248 putat, legionem cognomen accepisse ob rem, quam ennarrat Dio LIV, 11 cf. supra p. 6 adn. 1. Quamquam concedendum est, argumentationem supra propositam totam in eo niti, quod legionem V, quae in titulo occurrit, eandem fuisse atque illam quae primo saeculo in Germania tendebat, scil. V Alaudae (Grotef. B. Jahrbb. XXXII p. 45—58. Borgh. oeuvr IV p. 210—217, Hübner: bull. 1862 p. 185 sq.) posuimus, id quod certo demonstrari nequit, tamen omnes, quae tum erant et quae postea esse solebant, rationes militares expendentibus dubium esse non potest, quin legio V Maced., quae erat ex numero orientalium (tendebat in Moesia), numquam in Hispania vel omnino in occidente militaverit. Saepissime legiones Hispanicas subvenisse Germanicis vix est, quod moneam.

3) hoc etiam infimis temporibus valere potuit. Tituli compositi sunt in indic. IV, col. I a. b. c.

4) omnes hi tituli sub Juliis vel Claudiis positi sunt: n. 14a, Murat. 859, 9. V 4987, IX 4122, X 3887; eos in quibus cognomen propter lapidem fractum non exstat, omisi.

5) Borgh. oeuvr. IV p. 225 Aschb. leg. X g. p. 249, 256—258; falsa cognomina sunt „Augusta," „victrix," „pia invicta" alia cf. n. 12*—17*.

6) Nam hoc non castrense fuisse, per se elucet.

Ac primum quidem cum constet legionem, dum in Hispania erat, adeo non cognomen accepisse,[1]) ut ne tum quidem, cum ex Hispania in Germaniam transiret, a. 823/70, iam honore frueretur, in Germania, qua in provincia a Vespasiano usque ad Traianum tendebat, eam illo praemio decoratam esse et monumentis efficitur in provincia exstantibus, quae cognomen praebent,[2]) et confirmatur comparantibus nobis numerum illorum, quae exhibent, cum iis quae omittunt:[3]) utraque enim cum dimidiam omnium titulorum partem contineant, quoniam consentaneum est proximo post honorem acceptum tempore cognomen summa diligentia poni solere, quam luculentissime demonstrant, legionem cum honorem acciperet, iam per aliquantum temporis in provincia castra habuisse; ita ut summo iure omnes lapides Germanicos (nam de tegulis non agitur), qui cognomen omittunt, ante illum annum, quo illud legioni impositum est, dedicatos atque exaratos esse statuere liceat,[4]) et illa res, qua legio honorem sibi peperit, aetate, per quam in Germania morabatur, circiter media gesta esse videatur.

Deinde temporis finibus titulis n. 55, quo demonstratur legionem etiam sub Vespasiano simpliciter geminam appellatam esse, et n. 19, quo sub Traiano „pia fidelis“ additum esse efficitur, iam artius inter Vespasianum et Traiani bella Dacica circumscriptis, sub Domitiano causam cognominis addendi fuisse seditionem Antonii Saturnini conicientes, antequam ea, quae maxime movent, ut hoc suspicemur, enarremus, seditionem, quomodo orta et continuo repressa sit, quam brevissime liceat perstringere.

Inde a bello anno 836/83 sequentibusque gesto contra Chattos, qui iam a. 837/84 a Domitiano ita victi et triumphati erant, ut etiam postea ab incursionibus non plane se abstinerent et pericula perpetua

---

1) non solum in nullo titulo, aut in ipsa provincia, quae tum legionis erat, Hispania posito aut omnino aetate Hispanica dedicato, cognomen invenitur, sed etiam, quod maius videtur, cum illo tempore non sine causa gravi honor huius cognominis attribui solitus sit, quod nihil, quod huc referri possit, in fontibus quamvis imprimis accuratis atque copiosis, exstat magnopere mirandum esset.

2) collata invenies in ind. IV. col. III b.

3) quae omittunt, sunt in ind. IV. col. II. b.; ratio quae inter utraque intercedit sane singularis est; nam quantopere postea nudum cognomen praevaluerit v. ind. IV. col. II et III c. et d.

4) idem valet de legionum VII et XI titulis Delmaticis cf. C. J. L. III p. 281.

Romanis intenderent, erant in Germania inferiore legiones I Min. VI victrix, X gemina, XXII primigenia, in superiore legiones XIIII et XXI Mogontiaci, VIII Augusta fortasse Argentorati, XI Vindonissae (cf. append. I § 2, I et II). Sub finem vero anni 841/88[1]) L. Antonius Saturninus,[2]) qui Germaniam superiorem fortasse inde ab anno 838/85 (Asbach Westd. Zeitschr. III p. 8) regebat, nummorum, quos milites in hibernis, nempe Mogontiacensibus, ad aquilas deponere solebant, maxima vi ferox, exercitus, cui praeerat, virtutis fiducia superbiens, barbarorum, quibuscum agebat, auxiliis promissis fretus a Domitiano descivit nescio quibus causis commotus et a militibus suis imperator appellatus est. Quae seditio, quamquam nuntius Romam allatus omnibus summum pavorem intulit, recordantibus eam esse provinciam, ex qua a. 822/69 bellum Italiae esset illatum, eum exer-

---

1) Seditio, cui anno revera attribuenda sit, viros doctissimos concertantes diu vexavit: Mommsen: Herm. III p. 120, Hirschfeld: gött. gel. Anzeig. 1869 p. 2509, quibus adsentire videtur Schiller R. K. I, p. 524 adn. 2, hieme quae erat inter a. 840/87 et a. 841/88, seditionem et ortam et repressam esse putant; Eichhorst: Fleckeisen's Jahrbb. f. Phil. 99, 1869 p. 354—60, Stobbe: Philol. XXVI p. 44—80 imprimis p. 53 sqq. Bergk: Zur Gesch. u. Top. der Rheinl. p. 61—64, Friedlaender: Sittengesch. III[5] p. 430, Asbach: Westd. Z. III p. 8, hieme inter a. 841/88 et 842/89; pro his rem conficere mihi videntur Acta fratrum Arvalium mensis Januarii a. 842/89, quae quaeso inspicias; cui tempori etiam Martialis epigrammata satis bene conveniunt. — Rem per hiemem gestam esse tradit, Suet. v. Domit. c. 6.

2) Suet. v. Domit. c. 6.: bellum civile motum a L. Antonio superioris Germaniae praeside, confecit (Domit.) absens felicitate mira, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset et q. s. ibid. c. 7: quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna res novas moliens fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Plut. v. Aemil. Paul. c. 25: *ὅτε γὰρ Ἀντώνιος ἀπέστη Δομετιανοῦ καὶ πολὺς πόλεμος ἀπὸ Γερμανίας προσεδοκᾶτο τῆς Ῥώμης ταραττομένης ἄφνω καὶ αὐτομάτως ὁ δῆμος ἐξ αὑτοῦ φήμην ἀντέδωκε νίκης καὶ τὴν Ῥώμην ἐπέδραμε λόγος αὐτόν τε τὸν Ἀντώνιον ἀνῃρῆσθαι καὶ τοῖ σὺν αὐτῷ στρατεύματος ἡττημένου μηδὲν μέρος λελεῖφθαι . . . . . πορευομένῳ δὲ τῷ Δομετιανῷ μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὸν πόλεμον ἤδη καθ' ὁδὸν ἀγγελία καὶ γράμματα φράζοντα τὴν νίκην ἀπήντησεν. Ἡ δὲ αὐτοῖ τοῦ κατορθώματος ἡμέρα καὶ τῆς φήμης ἐγίνετο, ἐπὶ πλέον ἢ δισμυρίους σταδίους τῶν τόπων διεστώτων.* Dio LXVII, 11, 1 *Ἀντώνιος δέ τις ἐν Γερμανίᾳ ἄρχων . . . . τῷ Δομετιανῷ ἀπέστη, ὃν Λοίκιος Μάξιμος κατηγωνίσατο* et q. s. Aur. Vic. ep. 11, 9: his eius saevitiis accensus . . . . . Antonius curans Germ. sup. imperium corripuit; ibid. 10 quo per Norbanum Appium acie strato Domitianus longe tetrior. Spart. v. Pesc. c. 9: aut a militibus imperatores appellati ut sub Domitiano Antonius. cf. Martial. ep. IV, 11, Antonio, quid eventurum sit quasi praedicens et IX, 84 Appio Norbano dedicatum cf. Plin. paneg. c. 14.

citum, victoria recens reportata elatum, qui anno 822/69 seditionis initium fecisset, praeterea imminere infensas barbarorum, quos vixdum domitos Antonius acciturus esset, catervas, et imperatori tam gravis visus est, ut Domitianus non solum Traianum ex Hispania ad auxilium ferendum arcesseret, sed sua ipsius auctoritate et virtute opus esse ratus cum cohortibus praetoriis urbe egrederetur et bello ingruenti se obiceret, haec, dico, seditio omnium opinione celerius contusa prorsusque exstincta est cum fortuna quadam mira, quod Rhenus subito resolutus transgressuros Germanos, quominus cum seditiosis vires coniungerent, impedivit, tum fide atque religione proximorum praesidum legionumque, qui summa industria virtuteque profecti perfidos et sacramenti et Romani nominis oblitos acie prostraverunt Antoniumque ipsum continuo trucidarunt. Sed licet inter omnes constet, eum, qui seditionem confecit, fuisse L. Appium Maximum Norbanum,[1]) tamen hic, qua ex provincia, quam illo puncto temporis regebat, Antonium suppressurus venerit, quibus copiis victoriam reportaverit, quo loco pugnatum sit, incertissimum est, cum alii viri docti alias proposuerint sententias,[2]) atque adhuc sub iudice lis esse videtur.

Inter has res gestas ut legionem X geminam cognomen P. F. sibi peperisse censeamus, adducti sumus his fere causis:

Primum seditioni Antonii Saturnini simillimum est bellum civile in Delmatia contra Claudium motum a Furio Camillo Scriboniano:[3])

1) Dio LXVII 11, 1; Aurel. Vict. ep. 11, 10, Martial IX, 84; C. J. L. VI 1347, cf. Plin. ep. ad Tr. 58, 6. Momms. Index Plinian. in edit. Keiliana p. 401.

2) Momms. Herm. III p. 119 et ind. Plin. p. 401 putat eum fuisse legatum Pannoniae; Roulez Mém. de l'acad. de Bruxell. XLI p. 256 legatum Germaniae infer.; Bergk.: Zur Gesch. u. Topogr. der Rheinl. p. 65 procuratorem Raetiae. Asbach W. Z. III p. 9 et adn. 33 et Schiller: R. K. I p. 524 legatum provinciae Lugudunensis vel Aquitaniae, id quod non demonstratur tegulis in Germ. sup. et Aquitania repertis LEG. VIII AVG LAPPIOLEG cf. Momms. Hermes XIX p. 438, et R. G. V p. 137 adn. 1; et bullet. ép. de la Gaule III p. 306 n. 5 et 6. Locus pugnae fuit iuxta Rheni ripam, fortasse in Helvetiorum finibus: verisimillimum enim esse videtur, Antonium cum exercitu iam ipsam in Italiam aut profectum esse aut ne proficisceretur, valde timendum fuisse: Traianus enim qui ex Hispania in Germaniam legionem ducens etiam Alpes attigit (Plin. pan. 14), in has regiones iter intendere non potuit, nisi legionibus Germanicis vias, quae per Alpes in Italiam ferebant [praecipue per Poenina iuga (cf. Tacit. Hist. I, 61)], intersaepturus faucibus atque angustiis saltuum praeoccupatis.

3) cf. Schiller R. K. I, 1 p. 318, Grotef. Pauly IV p. 885, Dio LX, 15. Suet. v. Claud. c. 13. Tacit. Annal. XII, 52 Hist. I 89, II 75.

hoc et ipsum Romae maximum incussit timorem et principem, cuius timiditas ignaviaque plane a Domitiani fortitudine atque superbia abhorrebant, tanto terrore complevit, ut etiam de imperio deponendo et summa rerum postulanti Camillo cedenda cogitasse diceretur (Suet. v. Claud. c. 35); hoc et ipsum omnium celerius opinione suppressum est, non illud acie quidem et armis, sed religione fideque legionum, quae primo Camillum secutae continuo ad officium et sacramentum se revocarunt: quam ob causam legiones VII et XI ab imperatore grato et beneficii memore cognominibus, „Claudiarum piarum fidelium" honoratae sunt. Deinde cum per primum post Christum saeculum imperatores cognomen P. F. significationem propriam et quasi nativam adhuc conservantes, nondum tam temere et facile, quam postea, nempe ob rem aliquam in bello fortiter strenueque gestam, legionibus dilargirentur, inter Vespasianum et Traianum nulla, quantum scimus, occasio pietatis illius priscae et fidelitatis comprobandae oblata est, nisi seditione Antonii; et ut ille temporum posterorum usus, vel potius illud vitium, iam receptus esset, tamen nostra legio, cuius vexillatio tantum [quamquam ne hoc quidem constat] bello Chattico et aliis interfuit, nullius maioris expeditionis particeps facta, quomodo cognomen P. F. fortitudine vel industria sibi parere potuerit, non explicatur. Denique, quod gravissimum est, omnes legiones, quae sub Domitiano in Germania inferiore tendebant,[1]) eodem fere tempore eodem cognomine ornatae esse videntur: et quantum fortunae temeritati attribuendum sit, si quis legiones quattuor, quae ipsa hac aetate una in provincia stativa habebant, non simul eadem de causa, sed alia aliam ob causam cognomen eodem fere tempore accepisse statuat, clarissime elucebit nobis perlustrantibus, quam paucae omnino legiones saeculis prioribus aetatis imperatoriae his cognominibus dignum aliquid fecisse visae fuerint (cf. indic. II). Accedit quod non solum classis Germanica, quae ad inferiorem exercitum pertinuit, eodem tempore, quo legiones, cognomine P. F. quo nulla alia classis umquam gaudebat, honorata est, sed fortasse etiam nonnullae cohortes provinciae Germaniae inferioris,[2]) ita ut totus inferior exercitus aliquid praeclare gessisse videatur. Quibus rebus bene expensis omnes quattuor legiones cum ob unam eandemque rem fideliter ges-

1) erant legg. I Min. VI victr. X gem. XXII primig. hac de re cf. nostr. indic. I et infra append. I § 2.

2) cf. indic. III.

tam cognomen accepisse appareat, id quod supra diximus, Antonii scilicet seditionem causam fuisse, quin verum sit, nullo modo possit dubitari, si litteram quandam D, quae in compluribus earum ipsarum legionum monumentis post P. F. occurrit, significare „Domitianam“ recte coniecerimus[1]) et legionibus, quae pietate et fidelitate sua imperatorem summo periculo eripuerant, non solum cognomina P. F. donata esse, sed etiam ipsius imperatoris, id quod multo honorificentius erat, cognomen impositum esse vere suspicemur. Hoc, quod centum annis post revera factum esse titulo docemur Wilm. 1459[2]) (cf. leg. III Aug. Com. in VIII 3163), cum

1) monumenta sunt haec: leg. X g.: n. 51, n. 60 d. V ≡ B. Jahrbb. LXI. 1877 p. 73 n. 12; leg. I Min.: B. Jahrbb. LVII p. 70; leg. XXII pr.: Bramb. 140 d. 3, 4. 673, 1377 g. 31, 1626. — classis Germanicae Bramb. 684 (677) cf. indic. III; fortasse coh . . . Asturum cf. ind. III adn. — Bramb. 1982 leg. VI victricis potius non adhibendus est. — Praemonendum est, hoc D non exstare nisi post P. F, neque in ullo monumento usquam aliarum aut legionum aut cohortium classiumve occurrere. — Primum si quis coniciat, hanc litteram cum F coniungendam compendium vocis „fidelis“ efficere, respiciendum est, vocem ita syllabatim breviatam ab usu aetatis melioris, cui omnes hi tituli et litterarum formis et aliis causis gravissimis attribuuntur, plane abhorrere: nam quamquam saepissime voces compositae prima utriusque partis littera exprimuntur [ut ↄ. S. = contrascriptor III p. 5121. V 5080, BF = beneficiarius passim, PP = primipilus, passim; Q·Q·V = quoquoversum III 3869, 3875. V pass., M·T = mediterraneus III 5207, et VIII, 5326, (Q·D = quondam III 2199, 3529, 3544. VII 292)] et voces praepositionibus subiunctae [ut P·P = perpetuus passim. P·P = praepositus IX 334, X 7200, D·P = depositus Eph. ep. IV 912, alia exempla]: omnes nullo modo huc pertinent. Alia iam ratio est talium: LG = legio (III 2010, 5997, Arch. ep. Mitth. VI p. 3), MILTS = militis (VII 184) NVB = numinibus (VII 180) sed haec compendia ad unum omnia continenter scribuntur omissa interpunctione, quae in nostris titulis plerumque exstat. Praeterea „p. f(i)d.“ universae illi compendiorum lapideorum legi contradicit, quae ut voces invicem respondentes eodem litterarum numero significentur, praecipit (VV = „valeria victrix“ vel ulpia victrix; FF = „flavia firma“ vel flavia felix“, CG = „classis Germanica,“): imprimis interdum PIAFID, rarissime PI FI, plerumque P.F. scribitur. Itaque D cum F coniungi non posse censeo. Deinde falsa est sententia Freudenberg: B. Jahrbb. LVII p. 77: D (uplarius): primum enim dubitandum, num haec vox ita signari possit in titulis sepulcralibus [quae affert exempla Fr., sunt desumpta ex tabulis militum (VIII 2626), in quibus singulae litterae voces significare solent]; deinde cum nemo neget, si via et ratione progrediamur, omnes illos titulos eodem modo explicandos esse, sententia Fr. non quadrat ad tegulas et plerosque titulos; idem valet de Bramb. in indice: D (eiotariana) interpretante. Itaque nobis proponentibus „Domitiana“ sententia confirmetur, si Bramb. 140 d. 4 revera exstet „DO.“

2) cf. titulos collatos in ind. II, VII.

1) Legionem XIII in Dacia iam memorant: tabula cerata VII (C. J. L. III p. 940) a. 894/141 „actum in kanabis leg. XIII gem.", C. J. Gr. 4011 χειλίαρχος ἐν Δακία λεγ ιγ' Γεμίνης sub Hadriano vel Pio (cf. Roulez Mém. ect. XLI, B. Jahrbb. XXXVI p. 104 et LXXIII, 1880, p. 67), III 953 sub Hadriano; Eph. IV p. 67 n. 161 a. 880/127 (nam veterani, qui milites facti sunt a. 102 et 103, hoc anno dimissi sint necesse est); III 1100 sub Traiano. Denique cum legionem I adi. cum XIII in Dacia aliquamdiu fuisse demonstretur tegula III 1628 [nam veteranos harum legionum tegulam fecisse, ut putat Pf. p. 86, minime verisimile] iam patet, quandoquidem legio I adi., quae iam a. 114 legioni XV Apoll. succedens in Pannoniam venit, non potuit in Dacia esse nisi post ipsa bella Dacica usque ad bellum Parthicum, legionem XIII gem. ante a. 114, verisimillime Dacia in provinciae formam redacta continuo e Pannonia abductam esse.

2) at tegulas paucissimas (III 4663) ad hanc aetatem esse referendas non constat.

3) Renier Archive des miss. scient. et litteraires 1851, tom. II p. 183 quem sequitur Dierauer in Büdinger: Unters. zur röm. Kaiserg. I p. 159 adn. 5.

translata sit, tamen pro certo affirmare licet, eam a Traiano in castris Vindobonensibus provinciae Pannoniae superioris collocatam esse.

II. Hac in provincia tetendit legio inde a Traiano usque ad tempora postrema, quoad omnino de legionibus Romanis in provinciis Danuuianis aliquid cognoscere nobis liceat. Testimonia, quae satis certae aetati attribui possunt, secundum temporis ordinem sunt: praeter laterculum legionum VI 3492 et Claudium Ptolemaeum supra tractatos[1]) titulus n. 72 a. 198, n. 23 sub Severo, (n. 89 sub Severo;) tegulae n. 87 a III sub Caracalla aut Elagabalo coctae, n. 87 a IV sub Alexandro, Cassius Dio LV, 23 οἱ δεκάτεροι οἱ ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω οἱ δίδυμοι, [n. 91 a. 234] n. 24 a. 249; n. 25 sub Gordiano vel Philippo, itinerarium Antonini p. 248_2 sub Diocletiano[2]), denique Notitia dignitatum occid. c. XXXIV v. 25 et 27.

III. Provincia Pannonia superior, quae cum a legione X tum a legionibus XIIII gem. Carnuntina et I adi. Bregetionensi defendebatur[3]), in numero provinciarum summae auctoritatis maximique momenti erat; nam quattuor[4]) tantum provinciae inde ab Hadriano usque ad Severum a ternis legionibus obtinebantur. Sed cum Severus, Pannoniae sup. legatus, imperator factus esset, Britannia a. 949/196 in superiorem et inferiorem (Dio LV, 23, Kuhn: die städt. u. bürgerl. Verf. II p. 193, Marquardt: R. St. I² p. 265, Momms.: R. G. V p. 174), Syria[5]) ante a. 951/198 in Syriam Coelen et Syriam Phoenicen divisis,

---

1) tabula militum n. 66 propter frequentiam nominis gentilicii „Aelius" Antoninorum aetatis esse videtur.

2) hoc tempore illud esse scriptum demonstravit Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. der Rheinl. p. 146—154.

3) cf. Ptolemaeus ll. et VI 3492 — legio XV Apoll. iam a. 114 profecta in perpetuum in Cappadacia collocata erat (cf. Arrian ἔκταξις κατ' Αλάνων §§ 5, 6, 15, 24). Huc pertinent tituli a frumentariis harum legionum mutuo positi n. 98, n. 99: nam ut videmus frumentariis mortuis a commilitonibus legionum eiusdum provinciae sepulcra facta esse (ut leg. VIII Aug. et XXII Primig. Germ. sup. VI 3351, X 6575, leg. I Miner. et XXX Ulp. Germ. inf. VI 3334), ita licet conicere, legiones, quarum frumentarii hoc modo in titulis coniunguntur, in eadem provincia tetendisse, nisi necessitatis vel affinitatis vinculum inter eos intercessisse perspicuum est.

4) Britannia cum legionibus II, VI, XX, Pannonia super, Moesia inferior cum legg. I, V, XI, Syria cum legg. III, IIII, XVI, cf. etiam Dio LXXIII 14, 3, qui tradit, omnes, qui erant post Pertinacem occisum imperii aemuli tres, ternas legiones in sua quemque provincia habuisse, Severum legatum Pann. sup. Nigrum Syriae, Albinum Britanniae.

5) cf. III 205, Kuhn II p. 193. Legiones duae a Severo conscriptae, quae

legione V Macedonica e Moesia inferiore in Daciam abducta (Momms. C. J. L. III p. 161), Pannonia superior, quae provincia quasi fons et origo imperii fuisset, sola tres legiones retinebat, et omnium provinciarum viribus pollentissima atque auctoritate florentissima erat.[1]) — Sed Cassius Dio, qui scripsit Severi Alexandri temporibus, praeter legionem, quae iam pridem Aquinci habuit castra, II adiutricem, etiam legionem I adiutricem Bregetionensem, unam ex provinciae superioris legionibus in inferiore Pannonia memorat.[2]) Hoc testimonium auctoris gravissimi, qui erroris vel neglegentiae cum omnino de rebus, quae quidem ad eius aetatem spectant, narrans argui non potest, tum ipse in Pannoniis legati munere functus (Dio LXXX 1, 2; 4, 2 ante a. 982/229 quo fasces iterum gessit) rerum harum provinciarum peritissimus est, adeo non ceteris testimoniis contradicit, ut quam maxime fulciatur titulo C. J. L. III 3524 a. 981/228, qui scholam speculatorum legionum I et II adiutricum Aquinci restitutam esse praedicat:[3]) quomodo enim communis esse potuerit schola legionum, quarum altera in superiore, altera in inferiore provincia tendebat, non explicatur (cf. Momms., adn. ad tit.). Deinde optime cum iis, quae tradit Dio, congruit, quod, cum tituli ceterarum provinciae superioris legionum satis restricte suae provinciae finibus contineantur, legionis I adiutricis complura monumenta exstant in Pannonia inferiore.[4]) Denique Bregetio et legio I adi. Pannoniae inferioris esse plane dicitur titulo

---

in oriente collocatae sunt, non provinciae Syriae sunt attributae, sed novae provinciae Mesopotamiae, scilicet legiones I et III Parthicae.

1) tres legiones P. s. etiam sub Caracalla a. 965/212 (vel 967/214?) monumentum dedicaverunt III 4452.

2) Dio LV 24 τὸ πρῶτον τὸ ἐπικουρικόν ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ κάτω, quem locum neglexisse videtur Mommsenus, qui C. J. L. III p. 416 scribit: „provinciae Pannoniae inferiori una sola legio praesidebat, cum Ptolemaei aetate tum Dionis et posteriore". Aschb. leg. I et II adi. p. 323 sq. et 331, qui legionem I adi. iam inde a Traiano provinciae inferiori attribuit, multis rebus certissimis repugnat.

3) minus tribuatur, quod sub Alexandro praeses Pann. inferioris, quam provinciam, si a duabus legionibus defendebatur, a viro consulari, non iam praetorio, ut antea regi debuisse et rectam esse (sed cf. Borghesi Annal. 1855 p. 24 sq. = oeuvr. VIII p. 456 sq.), persuasum habeo (cf. supra p. 50 adn. 1), appellatur cos = consularis Eph. ep. II p. 382 n. 696: nam vox „consularis" iam saeculo tertio ineunte in merum titulum vertere se coepit et omnino praesidem provinciae significavit, qui utrum revera consul fuisset necne, nihil intererat. cf. Kuhn, Verf. des röm. Reichs I p. 192 sq.

4) III 3259, 3309, 3353, 3396, 3552, 3557, 3660 Eph. II 658. Temporis igitur post Alexandrum est titulus Aquileiensis V 954.

VI 3198: „eques sin(g) Aug. n.... natus in Pannonia inferiore domo Bregetione at[1]) legione prima atiutrice“ nam quamquam non potest negari, locum quo quis natus est, posse diversum esse a „domo“ (= Heimathsberechtigung), tamen hic illa interpretatio, quam proposuit Mommsenus Herm. XIX p. 38 adn. 1, nimis artificiosa est: omnia optime conveniunt, si titulum esse Severo Alexandro posteriorem iudicemus. Quod etiam postea Bregetio cum legione I adi. ibi tendente provinciae Valeriae, quae in maximam partem Pannoniae inferiori respondebat, attributa est, iam intellegitur hoc a Diocletiano non novum excogitatum, sed quod iam erat, conservatum esse. Quae cum ita sint, negari vix potest, Pannoniam superiorem inter a. 965/212 et a. 981/228 Bregetione et legione una ibi tendente privatam,[2]) inde ab hoc tempore duabus tantum legionibus, X et XIIII geminis, occupatam esse.[3]) Quo anno, quam ab causam hoc factum sit, ignoratur; sed vix est audacius conicere, Severum Alexandrum rei mutandae auctorem fuisse, seu, ne praeses provinciae illius tantis viribus fretus imperium appeteret, veritum, seu, quantum inde periculum imperii quieti immineret iam ipsa re monitum.[4]) Denique vero omnibus rebus Romanis cum civilibus tum militaribus recreatis, cum legiones numero multiplicatae viribus

---

1) AT quod in apographis traditur, non video, cur editor in ET mutaverit: t pro d etiam in ATIVTRICE usurpatur, ablativus pro accusativo non offendit: praeterea „ad legionem“ etiam dicendi ratio aptissima est.

2) ex viae publicae, quae ducit Bregetione Aquincum, milium numeris, vix aliquid elici potest, quod sententiam nostram aut fulciat aut evertat: nam etiamsi post Alexandrum milia et ab Aquinco et a Bregetione usque ad eum locum, qui antea provincias terminaverat, numerata esse constaret (quod non est: a Bregetione numerant sub Maximino (III 4630, Eph. II 911, IV 538); sub Gordiano Eph. II 910, sub Philippo III 4626, 27, 31, 34, sub Decio III 4625; ab Aquinco post Alex. nullus numerat; fortasse III 3747 si quidem Aelianus idem est ac Flavius Aelianus III 3524), tamen nihil moveret: neque enim ad omnes provincias pertinet, quod de Germaniis fortasse recte statuit Bramb. ind. schol. Bonn. 1865/66 „numeri passuum in viis per alias provincias continuatis finibus Germaniarum continebantur“ (via Aguonto in Raetiam etiam in Raetia numerat ab Aguonto III 5706—8, via per Pannonias a Poetovione numerat III 6465), et potuit etiam post fines mutatos antiqua numerandi ratio conservari.

3) huc pertinet n. 25.

4) Sub Alexandro complures viros legionibus, quas regebant, nisos summa rerum potiri conatos esse scimus; neque vero quam quisque provinciam administraverit, neque quo tempore seditionem moverit, constat cf. Schiller R. K. I p. 773 adn. 7, 775 adnn. 3, 4.

debilitatae, decem sub uno duce coniunctae imperatori leviorem timendi causam, duci mediocrius sperandi praesidium praeberent, quam antea duae vel tres, provinciae Pannoniae superiori, quae appellabatur Pann. prima, non tertia solum ad duas, X et XIIII gemm. legio adiuncta est, nempe II Italica Lauriaci collocata, sed etiam quarta, I Noricorum Fafianae (cf. Not. dign. occid. XXXIV v. 37—39), quod quo tempore et a quo imperatore factum sit ignoratur; fortasse iam a Diocletiano.

---

§ 2 De castris et stationibus legionis X̄ geminae.

I. Legionem in castris Vindobonensibus qui commemorant, Claudius Ptolemaeus II. c. 14 § 3, itinerarium Antonini p. 248_2, Notitia dignitatum occid. c. XXXIV v. 25, luculentissime illustrantur monumentis, quorum longe maxima pars Vindobonae vel in vicis proximis reperta est.[1]) Ibidem classem Flaviam Pannonicam (cf. III 4025, 4319, Eph. II p. 366 n. 610, VIII 7977, 1269) stationem habuisse verisimile est;[2]) sed de castris ipsis fusius exponere, hic longum est. — Notitia vero dignitatum partem legionis, liburnarios scilicet, collocat Arrabonae (Raab), quod oppidum situm erat ad Danuuium inter Carnuntum et Bregetionem: hic quoque nonnullae legionis tegulae exstant.[3]) Ea erant castra legionis eaque sola: nam monumenta, quae haud ita rara etiam Carnunti reperta sunt,[4]) non tam legionis stationem ibi fuisse probant, quam explicantur eo, quod Carnuntum, caput[5]) P. s., aut ad expeditionem suscipiendam aut ad aedificia, quae in militum usum, militum manibus erigebantur plurima, condenda vel restituenda omnes copiae legionesque saepius cogebantur.[6])

---

1) tegulae n. 87 a, n. 87 b, tituli sacri vel sepulcrales, n. 7, n. 23, n. 24, n. 64—71.

2) cf. not. dign. occid. c. XXXIV v. 28, ubi appellatur „classis Histrica". — Castra Vind. condita sunt vix ante Vespasianum per legionem XIII geminam. Quomodo castra instituta et aedificia disposita fuerint, adhuc parum notum est.

3) n. 87 d.

4) tegulae n. 87 c, tituli n. 86, 87.

5) hoc dubium esse non potest. Monumentum a provinciae legionibus coniunctis dedicatum collocatur Carnunti (III 4452), Severus imperator salutatus est Carnunti (Spartian. v. Severi c. 5), nimirum quod legatus provinciae ibi sedem habuit; via Carnunto Vindobonam milia numerat a Carnunto (III 4641—46) etiamsi per legionem Vindobonensem restituta est (n. 72).

6) idem observare licet in castris Mogontiacensibus Germaniae superioris: in quibus monumenta legionum in ceteris provinciae castris tendentium complura reperiuntur.

II. Sed praeterea passim in provincia monumenta legionis, ut consentaneum, per tria saecula in una eademque tendentis, reperiuntur: quae quamquam non semper aut pro exiguo numero aut pro fortuito genere stationem legionis eo loco, quo quodque exstat, fuisse demonstrant, tamen legionem quodammodo probant partem praecipue occidentalem provinciae occupasse: neque enim solum ad hostium incursiones, quibus castra supra memorata ad ipsum Danuuium sita opposita erant, propulsandas, sed etiam ad multa munera sustinenda milites adhibebantur; imprimis ad vias publicas et muniendas restituendasque et a latronum insidiis tutas commeantibus reddendas. Legionem X, ut viam Carnunto Vindobonam, quae munita erat a Pio (III 4641), restituisse sub Severo (n. 72) certo scimus, viam Vindobona Scarbantiam[1]) fecisse verisimile est, sic etiam stationibus burgisque vias firmasse apparet, praecipue viam, quae Vindobona ducit Scarbantiam Savariam, Poetovionem [ubi bifurcata dextrorsum vertit Celeiam, sinistrorsum Sisciam] custodisse;[2]) num etiam ei parti viae Poetovione Celeiam ducentis, quae iam ad Noricum pertinebat, aliquando decimani praesederint, pro certo affirmari nequit, quamquam tituli n. 89 sub Severo, n. 90 n. 91 a. 234 huiusmodi aliquid probare videntur.[3])

III. Ad legionem denique ipsam non pertinet, quod multi milites legionis in municipio Latobicorum, quod situm erat inter Neviodunum et Emonam, titulos dedicaverunt:[4]) hi enim ad unum omnes sunt consularis beneficiarii, qui munere aliquo civili fungebantur; neque mnltum nostra interest inquirere, utrum eo tempore, quo hi tituli positi sunt, hoc municipium Pannoniae superioris an Italiae regionis Venetiae fuerit.[5]) Nam provinciarum inermium praesidibus e provin-

---

1) et ipsa a Pio primo munita est III 4649 a. 143, restituta a Severo 4650, 4654 a. 201 aliisque 4648; 4651; 4653; 4647; 4652.

2) secundum eam monumenta exstant: Scarbantiae n. 85, Poetovione n. 81, n. 82, Daruvar n. 80, Toplice tegula n. 87 e, — nihil probant n. 83, n. 84, idem etiam valet de titulo n. 88 Aquinci (Pann. inf.) reperto, qui est dedicatus liberto centurionis leg. X g. mortui; et de tegula n. 87 f, quae aliunde in museum translata esse videtur.

3) tituli n. 92, 93 nihil valent cum militum in patria sepultorum esse videantur; n. 93 est fortasse filius liberti coloniae Claudiae Celeiae cf. C. J. L. III p. 631, n. 34 plane corruptus est.

4) sunt n. 77 a. 217; n. 73 a. 224; n. 74 a. 225; n. 78 a. 232; n. 79 a. 250; n. 76 a. 257; n. 75 anni incerti. Ibidem tituli beneficiariorum legionum I adi. (III 3902) et XIIII gem. (III 3905, 3909).

5) Mommsen C. J. L. III p. 496 contendit, illam regionem cum oppidis

ciis proximis, quae quidem legionum praesidio fruebantur, subministrabantur milites, qui praeter commune beneficiariorum nomen, quo quisque munere fungebatur, ab eo appellabantur, aut commentarienses aut stratores aut actarii. Itaque etiam in Delmatia legionis X milites eiusmodi munera praestabant[1]) atque interdum etiam missi honesta missione et veterani facti eodem, quo per longum temporis spatium fuerant, loco remanebant.

---

§ 2 De bellis et expeditionibus, quibus legio X gem. interfuit.

Inde ab ineunte saeculo secundo exercituum non solum eorum, qui ad Danuvium collocati erant, sed omnium fere, qui in omnibus tendebant provinciis, validissimae atque firmissimae erant[2]) legiones Pannonicae: quo factum est, ut et in expeditionibus, quae in hostes externos suscipiebantur, et in bellis, quae inter cives de imperio decertantes oriebantur, eae utique versatae sint: sicuti in summa rerum et cui favebant, deferenda et, cui invidebant, auferenda Pannonii maximum fecerunt momentum, ita Marcomannorum virtus Parthorum

---

Emona, Latobicorum, Nevioduno ab Hadriano Italiae adiunctam esse; certum est tertio saeculo Emonam fuisse primum Italiae oppidum ex Illyrico euntibus. (Herodian VIII, 1.)

1) n. 95, 96 Salonis, n. 94 Tragurii, n. 97 loci incerti; ceterarum legionum Pann. sup. sunt III 1780 a. 209; 1911 a. 239; 2015 (qui diserte appellatur commentariensis consularis provinciae Delmatiae) legionis XIIII gem.; III 1907, 1909, 1910, 3161 legionis I adi. — legionis Moesiae inferioris sunt III 1781, 1906 leg. I Ital.

2) Luculentissime hoc elucet ex eo, quod milites, qui inde a Severo optimi et fortissimi in cohortes praetorias diligebantur ex omnibus legionibus, longe maxima ex parte translati sunt ex legionibus, quae ad Danuuium collocatae erant (cf. O. Bohn: Die Heimath der Prätorianer, Progr. des Friedr. Real-Gymnasiums, Ostern 1883, Berlin, p. 13 sq., cuius indici adiciendus est miles ex leg. XI Cl. translatus Eph. ep. V p. 464 n. 985). Nam quamquam recte mihi videtur statuisse Bohnius p. 14 praetorianos non omnes ex legione translatos militasse, sed permultos in praetorium lectos esse tirones, tamen id quod milites ex Pannoniis oriundi omnes alias provincias numero longe superant (soli Thraces Pannoniis fere pares sunt cf. Bohn. p. 16 adn. 1, 3) clarissime demonstrat, legiones Pannonicas eo tempore praestantissimas fuisse: nam ex sua provincia milites acceperunt cf. supra p. 18, mil. coh. I pr. militavit in leg. X gem. cf. n. 106; cf. etiam n. 107, — in universum conferendi sunt Schiller R. K. I p. 728 adn. 2, Mommsen Herm. XIV p. 25—35, Henzen Eph. ep. IV p. 324—326.

que pertinacia, Gothorum vis Persarumque furor non nisi eorum viribus conciderunt atque repressa sunt. Sed cum ex fontibus, quorum qui exstant inter plurimas nugas pauca, quae cognitu digna sunt, perhibent, qui autem quae proba erant et gravia, enarrarunt, aut plane perditi aut foede mutilati sunt, ne in universum quidem, quo exercitu quaeque expeditio facta sit, perspici possit, rarissime autem una et altera legio disertis verbis in iis memoretur, liceat testimonia, si quae supersunt utcumque certa de exercitu, cuius pars erat legio X gemina, Pannonico scilicet vel Illyrico, hic congesta praebere: quibus cum legionem X quoque illis bellis interfuisse quodammodo et generaliter probetur, certiora fortasse et singula tempora postera esse doctura sperare licet.

Jam Traianus ad bellum Parthicum proficiscens a. 867/114, Syriacis legionibus diffisus ex Europa copias adduxit, [1]) e Pannonia legionem XV Apollinarem, quam ceterarum legionum Pannonicarum fortasse secutae sunt vexillationes. [2])

Deinde expeditioni Hadriani Judaicae legionem X geminam interfuisse probare videtur titulus n. 20 „tribuni leg. X gem. missi a divo Hadriano in expeditione Judaica ad vexilla[tiones deducendas]". Sed primum quidem, neque propter lapidem mutilatum, ex quibus legionibus illae vexillationes sumptae fuerint, apparet, neque semper vexillationi, siqua opus erat, praepositus est homo, qui iam in eadem manu, [3]) legione vel cohorte auxiliaria, aut saltem in eadem provincia [4]) cuius

---

1) Fronto de bell. parth. p. 205 (Naber) „in bellum profectus est cum cognitis militibus hostem Parthum contemnentibus sagittarum ictus post ingentia Dacorum falcibus inlata volnera despicatui habentibus" — de legione XXX Ulpia cf. supra p. 51 adn. 2 — auxilia e provinciis Danuvianis accita memorat titulus bullet. dell' inst. 1868 p. 60 „vexillationes eq. Moes. inf. et Daciae euntes in expeditionem Parthic".

2) cf. Pf. p. 88, 146, 260. — sed fortasse tum demum legio X in Pannoniam venit cf. p. 51.

3) trib. mil. leg. IX Hispan. vexillarior. eiusdem in expeditione Wilm. 1161; trib. mil. leg. I trib. vexillat. quattuor leg. I, V, XX, XXI Henz. 6453; trib. mil. leg. III Cyren . . . praeposit. vexillat. leg. II Traian. fortis et III Cyrenaicae in expeditionem Jud. deducendar. Rev. épigr. du midi de la France I p. 27 n. 37 = Boissieu Inscr. de Lyon p. 284 [leg. leg. IIII Flav. praeposit. leg. I Ital. et IIII Flav. cum omnib. copiis auxilior. VIII 2582; leg. leg. I Ital. dux exerciti Mysiaci VI 1450].

4) praef. coh. VII Breucor. (Pann. inf.) praep. vexill. Pann. infer. III 1464 praef. leg. VI vic. (Britann.) dux cohortium alarum Britannicianarum III 1919; trib. mil. leg. XI Cl. (Moes. inf.) praepos. vexillat. eq. Moes. inf. et Daciae

ex exercitu vexillatio constituebatur, curam aliquam habuerat; immo e. g. qui in Africa stipendia fecerat, postea vexillationi exercitus Germanici praeesse potuit.[1]) Itaque vexillationes, quarum dux erat Attius Senecio, tribunus leg. X gem., utrum ex exercitu Pannonico sumptae legionis X geminae partem continuerint, necne, plane incertum est. Deinde ex eo, quod dicitur „in expeditione“[2]) non „in expeditionem“, minime sequitur, ut Senecio, cum mitteretur, iam in ipso bello occupatus in Judaea fuerit. — Porro huc pertinere videtur titulus n. 2 „legat. leg. X gem. legat. imp. Hadriani in expeditione Judaica“. Sed munus, quo Q. Lollius Urbicus in expeditione Judaica fungebatur, quodcumque fuit, non confundendum esse cum legionis X legatione, quam ante ipsum bellum homo administrasse videtur, intellegitur cum ex voce legati iterata, tum ex donis militaribus, quibus ornatus est Lollius, multo inferioribus, quam quibus legionum legati honorari solent.[3]) Quae cum ita sint, legionis X gem. vexillationem bello Judaico interfuisse pro certo affirmare non licet,[4]) praesertim cum ullam legionem vel legionis partem ex exercitibus occidentalibus arcessitam esse adhuc ignoretur.

Bello vero Armeniaco Parthico, quod L. Vero duce gestum est, ab a. 915/162 usque ad a. 919/166, legionis X gem. vexillationem interfuisse summa probabilitate commendatur: qua de re cum iam suspicionem moverit titulus n. 4 legati legionis, qui vexillationibus in

---

bulletino 1868 p. 60; trib. coh. I Britton. (Dacia) trib. vexill. Dacor. Parthicae III 1193; leg. leg. XIII gem. et V Maced. (Dacia) praeposit. vexillat. Daciscar. VIII 7978.

1) eiusmodi sunt: III 660, 5211—5216, VIII 619, IX 2457, X 5829, Arch. ep. Mitth. VIII p. 22 — in titulo IX 2457, qui quod sciam, solus eandem dicendi rationem quae in nostro occurrit praebet Neratius Proculus, cum mitteretur, iam in Syria erat; nimirum in his vexillationibus in Syriam deducendis milites leg. XVI Flaviae Samosatensis (VI 1409), cui antea praeerat Neratius, inesse non potuerunt. Aliud est, quod dicitur in tit. Orelli 804: „praef. coh. II Fl. Britton. electo a divo Hadriano et misso in expeditionem Britannicam“.

2) permutatos esse casus neglegenter, quod saepissime occurrit, in hoc titulo huius aetatis vix credibile est. — haud scio an vertendum sit: „während des jüdischen Krieges.“

3) legati legionum accipiunt coronam muralem vallarem auream hastas puras II vexilla II, X 6659, coron. mur. vall. aur. hast. pur. II vexill. III, III 291 (II 4509), cf. Henzen: Annali dell' instit. 1860, XXXII p. 209 sq.

4) Schiller R. K. I p. 614 adn. 1 vexillationem legionis X gem. inter copias, quae bello interfuerunt, refert.

Cappadocia tendentibus praepositus est,[1]) accedit locus Frontonis[2]) (p. 207 Nab.) qui de L. Veri cura militibus adhibita agit: „sed forte temere [contemnere coniecit Mommsenus R. G. V. p. 398 adn. 2] Syrorum munditias, introspicere Pannoniorum inscitias“ e. q. s., quo loco comprobatur Syros et Pannonios, h. e. milites legionum Syriacarum et Pannonicarum, tum in iisdem castris in Syria fuisse. Eodem pertinet etiam, quod Marcus, contra Avidium Cassium, qui desciverat, profecturus, exercitum Pannonicum, ut spei animique impleat, allocutus dicit: καὶ τὸν Ἀραβικὸν τόν τε Παρθικὸν ἐκεῖνον πόλεμον οὐ Κάσσιος ἀλλ' ὑμεῖς κατειργάσασθε (Dio LXXI, 25), quae verba significare non possunt milites in universum, non Cassium illa bella profligasse; immo si quidem ad animos confirmandos spectabant, ii ipsi milites, apud quos Marcus contionabatur, bello interfuerint oportet. Sequuntur bella Marcomannica ab a. 999/166 usque ad a. 929/176 et ab a. 930/177 usque ad a. 938/185, in quibus imprimis legiones Pannonicae[3]) hostium vim sustinuisse videntur: in ipsis legionis X castris Vindobonensibus aliquamdiu Marcus sedem habuit, in iis etiam a. 933/180 Germanis gravissimis crebrisque cladibus paene contusis subito morbo correptus obiisse dicitur.[4])

---

1) quem ad hoc bellum pertinere demonstravit L. Renier: Rev. archéol. X 2 1853 p. 539—553.

2) sane Mommsenus R. G. V p. 398 adn. 2 hunc locum ad Traiani bellum Parthicum pertinere putavit. Sed hoc si verum esset, Fronto qui plane eam rationem sequitur, ut quanto facilius Traianus quam Lucius, Parthos vincere potuerit, demonstret, hoc loco ipse sibi contradiceret. Sententiarum ordo hic fere est: Traianus habuit milites optimos, veteranos, bellis assuetos (p. 205 Nab.), „Lucio milites aut dilectu novo tirones sumendi fuerunt aut . . . . molli militia corrupti“ (p. 206 N.) neque enim sub Hadriano vel Pio graviora bella gesta sunt (p. 206 „ita longa desuetudine bellandi miles Romanus ad ignaviam redactus“) et magis quam ceterae Syriacae legiones corruptae sunt. Attamen Lucius summa diligentia industriaque milites curavit et in laboribus suscipiendis ipse suo exemplo adhortatus est (p. 208 „ea re dilucide patet, quanta Lucio cura insita sit militum salutis“ e. q. s.). — Praeterea ea quae p. 206 et p. 207 de mollitie exercitus Syriaci dicuntur, paene eadem sunt atque quae scripsit Fronto in ep. ad Ver. II 1 p. 128. — Revera Lucii mores plane alii fuerunt quam qui p. 207 laudantur; neque vero hoc movet, ut hunc panegyrici scriptoris locum ad Lucium pertinere plane negemus.

3) Dio LXXI 3 τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον imperator Germanis bellum intulit. Singulae legiones non memorantur, nisi quod legio I adi. Bregetionensis sub P. Helvio Pertinace, qui postea imperavit, legato hostes ex provinciis Norico et Raetia expulit (v. Pertinac. c. 2, 6).

4) cf. Schiller R. K. I p. 651 adn. 5: Herodian I 3, 1. Μάρκον διατρίβοντα ἐν Παίοσιν νόσος χαλεπὴ καταλαμβάνει.

Commodo autem, sub quo nihil, quod memoraretur, dignum cum alibi tum ad Danuuium gestum est,[1]) trucidato et Pertinace, qui ei successerat, everso L. Septimius Severus a legionibus, quibus praeerat, imperator salutatus est Carnunti (v. Severi c. 5; „Savariae" Aurel. Vict. ep. 19).[2]) Legiones vero, quae continuo in partes transgressae erant, ut adularetur,[3]) numeros nominaque earum in nummis, a. 946/193[4]) cusis exprimi iussit: in quibus occurrunt omnes legiones, quas eo tempore tetendisse constat in Germaniis, Raetia, Pannoniis, Dacia, Moesiis: desiderantur duae, II Italica, quae erat in Norico, et X gemina Vindobonensis. De illa anquirere ab hoc loco alienum est, praesertim cum, quae de II Italica statuenda esse videntur, ad X quoque geminam sine ulla dubitatione referre non liceat. Sed quid de legione X iudicemus? quae cum in Pannonia, qua ipsa in provincia natum est Severi imperium, tenderet [ob expeditionem abesse non potuit], inter primas non in eius partes transgredi, sed ipsa earum auctor exsistere debuit. Et revera, opinor, demonstrari potest, eam in bellis civilibus a Severi partibus stetisse. Nihil sane probant tituli n. 23 a legionis tribuno, et n. 89 a centurione Severo dedicati, qui post bella demum civilia positi sunt; sed ad ipsa Severi initia adducimur titulo n. 109 a[5]) dedicato Tib. Claudio Candido, claris-

1) ad res, quas Herod. I 9, 1 fusius enarrat si quidem verae sunt (Schiller I p. 664 adn. 5) fortasse spectant Commodi nummi inscripti „fidei exercit." a. 186 Cohen III² p. 243 n. 131—138; a. 187 p. 235 n. 144 (a. 185 p. 245 n. 139) „conc. milit." a. 185 Cohen III² p. 233 n. 49—53, a. 186 p. 234 n. 54—59 alii.

2) dubitari non potest, quin Severus tum Pannoniam super. rexerit. cf. Dio LXXIII 14, 3 Herodian II 9, 1 — recte hoc statuit Ceuleneer: Essay sur la vie et le règne de S. S. p. 25 adn. 6, qui testimonia pleraque perplexa collegit cf. Schiller R. K. I p. 671 adn. 7 [Gellens-Wilford: la famille et le cursus honorum de l'empereur Sept. Sévère Paris 1884 inspicere non potui].

3) Albinus quoque cudit nummos: „fides legion" Cohen III² p. 417 n. 21—25; Niger: „fidei exercit" Cohen III² p. 406 n. 19—20, sed singulae legiones non in iis occurrunt.

4) nummi sunt Cohen III¹ p. 252 sqq. n. 156—175, p. 300 n. 525 cf. Robert les légions du Rhin introduction tab. III p. 44, 45 — omnes inscripti „trib. pot. cos" sunt eius anni, quo Severus imperator factus est, sc. a. 946/193; unus solus legionis XIIII gem. m. v. (Cohen III¹ n. 172, 173) est a. 947/194 „trib. pot. cos. II"; sed haec legio inter omnes excellit, eo quod non aënei tantum nummi sed etiam argentei et aurei eius nomen praebent: nimirum quod ea Carnunti collocata prima Severo imperii deferendi auctor fuerat.

5) egerunt de hoc titulo Roulez: Mém. de l'acad. ect. XLI p. 59—61, Henzen. bullet. dell' instit. 1848 p. 84, alii.

simo et fortissimo Severi duci. Qui cum fuisset dux exercitus Illyrici h. e. Pannonici,[1]) cui opponitur Moesiacus sub L. Mario Maximo (VI 1450) in expeditionibus contra Pescennium („Asiana"), contra rebelles Parthis finitimos atque a Parthis instigatos („Parthica"),[2]) contra Albinum („Gallica") susceptis, a Severo, pugna ad Lugudunum commissa et Albino trucidato, legatus pro praetore missus est in Hispaniam citeriorem, quam penitus pacaret et si quae inimicarum partium essent reliquiae, funditus exstirparet. Hoc igitur munere fungenti strator titulum illum posuit, „Silius Hospes hastatus leg. X geminae optimo praesidi". Itaque cum constet, stratores praesidis et legati Augusti sumptos esse, ut consentaneum, ex exercitu eius provinciae,[3]) quam ille tum regebat, aut si res in bello erat, ex eo exercitu, quem ille tum curabat, intellegitur legionem X geminam etiam illo tempore fuisse in exercitu Illyrico atque sub Candido duce expeditionibus contra Pescennium[4]) et Albinum interfuisse, partem eum fortasse in Hispaniam secutam esse. Quae cum ita sint, legionis X geminae ut nummi nondum exstent, fortunae tantum temeritate factum esse licet iudicare.

Quibus copiis expeditiones Parthica[5]) et Britannica Severi susceptae sint, non constat. Idem valet de Caracallae expeditionibus Germanica et Parthica (cf. Schiller R. K. I p. 745 et 746 adn. 6).

Sed ad bellum Persicum Alexandri exercitus Pannonici firmas vexillationes validasque miserunt. Nam, cum imperatori in bello

---

1) cf. Mommsen apud v. Sallet: Die Fürsten von Palmyra p. 73: „er befehligte in den bez. Kriegen das gesammte illyrische Heer, also mindestens die Legionen beider Pannonien"; quid significetur voce „Illyricum" cf. Momms. C. J. L. III p. 279, Marquardt R. St. I² p. 295 sqq. Kuhn: Die bürgerl. und städtisch. Verfass. II p. 223, Jung: Roman. Provinz. p. 333 sq. Zippel: Die röm. Herrschaft in Illyr. p. 1.

2) bellum Parthicum ab a. 197 usque ad a. 199 gestum significari non potest; recte statuit Schiller R. K. I p. 719 adn. 5 intellegi debere expeditiones a. 194 in Adiabenos Arabasque susceptas; neque dubitari potest quin haec expeditio, a qua Severus traxit nomen Parthici (Momms. R. G. V p. 410 adn. 1), Parthica dici potuerit.

3) de stratoribus cf. Marquardt R. St. II² p. 348, Cauer Eph. ep. IV p. 406—409 — exempla sunt mil. leg. I Min. (Germ. inf.) est strator legati Aug. Germ. inf. (Bramb 453); mil. leg. III Aug. (Numid) strator legat. prov. Numid. VIII 2748, 2749, primipil. leg. III Cyren. (Arabia) strator leg. Aug. prov. Arabiae n. 4. — dec. alae Thracum (Mauretan. Caes.) strator procurat. prov. Mauretan. VIII 9370.

4) huc pertinet etiam Herod. II 14 § 6.

5) Εὐρωπαῖοι, qui Hatram oppidum paene expugnatum iterum oppugnare recusaverunt (Dio LXXV, 2, § 3 et 5), haud dubie sunt praecipue vexillationes exercituum Illyricorum.

Persico occupato nuntiatum esset, barbaros provincias Illyricas invadere atque vastare, ταῦτα τοὺς ἐκ τοῦ Ἰλλυρικοῦ στρατιώτας ἐλύπησε, διπλῇ δοκοῦντας κεχρῆσθαι συμφορᾷ, ἔκ τε ὧν πεπόνθεσαν Πέρσαις μαχόμενοι, ἔκ τε ὧν ἐπυνθάνοντο τοὺς οἰκείους ἑκάστου ὑπὸ Γερμανῶν ἀπολωλότας,[1]) eorumque impetu imperator permotus esse dicitur, ut pace cum Persis reconciliata in occidentem rediret. — Provinciis vero Illyricis ab hostibus liberatis[2]) Pannonii Alexandrum etiam in Germaniam ad bellum Alamannicum secuti sunt: eorum enim maxime opera C. Julius Verus Maximinus Alexandro per tumultum trucidato imperator salutatus est (Herodian VI 8, § 3, VII 8, § 11, VIII 6, § 1). Et cum paucis annis post Gordiani in Africa et senatus totaque Italia a Maximino descissent, Pannonicae legiones, validissimum praesidium, ab imperatore, ut viam in Italiam ducentem exercitui patefacerent, electae Aquileiam, quamquam summo ardore virtuteque oppugnabant, capere non potuerunt (Herod. VII 8, 11, VIII 2, 2). Temporibus, quae secuta sunt confusissima atque maxime turbata, legiones Pannonicae Marino Pacatiano[3]) et Aemilio Aemiliano[4]) imperium deferebant; et quamquam etiam Ingenuo[5]) a. 1011/258 et fortasse Regiliano[6]) contra Gallienum seditionem moventibus, favebant, tamen in universum fideles atque Gallieni imperatoris studiosas se praestitisse videntur, imprimis legio X gem., quae in nummis[7]) non solum VI pia VI fidelis, id quod plerisque legionibus, quae in Europa tendebant contigit, sed etiam VII pia VII fidelis appellatur (Cohen IV[1] Gallienus n. 304—306).[8]) Quanta vero auctoritate floruerit, et quanti ob fortitudinem suam aestimata sit legio X, apparet ex Flavio Vopisco v. Probi c. 6, § 5, qui decimanos „fortissimos exercitus“ appellat, et ex epistula, si quidem est genuina, qua Aurelianus Augustus Probum legioni X praeponit,

1) Herodian VI, 7, § 3.

2) v. Alexandri Severi c. 58, 1 „actae sunt res feliciter in Illyrico per Varium Macrinum“ et q. s.

3) cf. Schiller R. K. I p. 802 adn. 7.

4) cf. Schiller I p. 809 adn. 7, Momms. R. G. V. p. 220.

5) Trig. tyr. 9, 1. „Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, a Moesiacis legionibus imperator est dictus, ceteris Pannoniarum volentibus“.

6) Trig. tyr. 10 „Regilianus in Illyrico ducatum gerens imperator est factus auctoribus imperii Moesis, qui cum Ingenuo fuerant ante superati“, quem Pannonios quoque adiuvasse verisimile.

7) hos Gallieni nummos v. apud Cohen IV[1] p. 381 sqq. n. 258—322, et permultis erroribus purgatos ab Robert les légions du Rhin introd. tab. III p. 44—46 cf. Schiller R. K. I p. 826 adn. 3.

8) bos, qui in iis exstat, legionis insigne fuisse putandus est, ut aliae legiones habuerunt leonem, capricornum, pegasum, cygnum alia.

ut ei quasi spem futuri imperii ostendat. Bello autem Gothico Claudii legio decimanorum, cum ab Aureliano, qui postea imperator factus est, duceretur, res praeclare et excellenter gessit (cf. v. Aurel. c. 17 et v. Probi c. 6, § 5).

Postea vero omnino non licet cognoscere legionum res, quas quaeque in bellis gessit, non magis quam cohortium auxiliariarum, quibus non maiorem fere militum manum eo quidem tempore legiones continebant. Itaque ne hoc quidem conici potest, quo modo factum sit, ut praeter legionem X geminam Vindobonensem, quae erat ripensis,[1]) X gemina in oriente tenderet comitatensis „sub dispositione magistri militum per orientem" (Not. dign. or. c. VII v. 7 et 42). Nam cum mihi quidem persuasum sit, ex ripensibus, quae ad unam omnes in iisdem castris atque antea tendentes in notitia dignitatum occurrunt (cf. adn. 1), comitatenses, pseudocomitatenses, palatinas[2]) ita emanasse, ut vexillationes, quae e veteribus castris in expeditionem missae erant, in terra, ubi bellaverant, retentae atque ipsae legiones factae exercitum, quocumque tempore opus erat, promptum atque expeditum efficerent,[3]) nullo modo cognoscere possumus, quo tempore, quo imperante, qua expeditione ea vexillatio legionis X geminae, ex qua altera X gemina, comitatensis, orta est, in orientem venerit.

---

1) omnes, quae ex numero veterum legionum in notitia dignitatum commemorantur, sunt ripenses praeter eas, quae prisca castra aut a barbaris expugnata aut aliam ob causam relicta non iam occupabant: ut VIII Aug. intra Italiam est palatina (Not. dign. oc. V, 10 = 153, VII, 28) XXX Ulpia intra Gallias pseudocomitatensis (Not. dign. oc. VII, 108) III Aug. intra Africam comitatensis (Not. dign. oc. VII, 151 = V, 105 = 254). Non occurrunt nisi in priscis castris et propterea non commemorantur nisi ripenses hae legiones: I adi. I parth. II adi. [II parth.] III cyr. III gall. III parth. IIII flav. IIII scyth. VI vict. X fret. XII fulm. XV Apoll. XVI flav.

2) de his legionum generibus cf. Kuhn: Die bürgerl. u. städt. Verf. I p. 135—140 praecip. p. 139.

3) propterea legiones ripenses non significantur nisi hac dicendi ratione legio I adi., legio VII gemina; comitatenses ect. saepissime memorantur: „secundani Italiciani (N. d. occ. V, 235) Septimani, Undecimani, Quartodecimani", quae olim propria vexillationum significatio fuerat [sed interdum etiam comitatenses „legio" appellantur]. Eiusmodi origini etiam optime convenit, quod nulla legio orientalis nisi ripensis exstat, legionum autem occidentalium plus quam tres partes etiam in oriente comitatenses tendunt; nimirum quod legiones Syriacae, quamquam illo tempore Germani quam maxime Rhenum Danuuiumque infestabant, propter mollitiem ignaviamque occidentales adiuvare non poterant, Danuvianae autem legiones Syriacis ad Persarum impetus reprimendos prorsus necessariae erant.

APPENDIX I.

Quae legiones aetate Flaviorum in Germaniis tetenderint, quaeritur.[1])

Non est in animo hoc loco in singulas legiones eodem modo inquirere, ac supra de X gemina factum est: quod si faceremus, appendicis fines nobis aliquanto transeundi erant. Satis videtur, quomodo exercitus per annos 823/70—849/96 in Germaniis mutatus sit, et quando legiones sese exceperint, summatim exponere. Quod etiam exercitus superior, a quo legio X gemina aliena est, huic commentatiunculae insertus est, eo fortasse excusatur, quod alterum exercitum ab altero ut vix ullo puncto temporis rebus et fortuna segregatum fuisse, ita etiam in narratione rerum segregari non posse, nemo est qui ignoret.

§ 1 Inde a fine belli Batavici usque ad bellum Domitiani Germanicum

ab a. 823/70 usque ad a. 836/83.

Primum quaerendum est, quot et quae legiones ex iis, quae ante a. 823/70 in Germaniis fuerant, a Vespasiano exauctoratae esse

1) De fontibus huius aetatis recte disserit Pf. p. 68. Adhibita sunt praeter Pfitzneri capita, quae huc pertinent p. 68—79 et p. 131—135: Meyer: „Geschichte der XI. u. XXI. Legion“ in „Berichten der antiquarischen Gesellschaft zu Zürich VII 1853 p. 125—172, qui libellus in iudicium vocatus a Klein: B. Jahrbb. XXII p. 109—125; Th. Bergk: Der Aufstand des Antonius Saturninus in B. Jahrbb. LVIII, 1876 p. 136—146 = Zur Gesch. u. Topograph. d. Rheinl. p. 61—71. Asbach: Die Kaiser Domitian u. Traian am Rhein in Westd. Zeitschr. III 1884 p. 1—26. — J. Klein: „Die Legionen in Germ. inf.“ in B. Jahrbb. XXV p. 72—97 res usque ad Vespasianum tantum gestas persecutus est, neque quod sciam, temporum posteriorum exercitum tractavit; eiusdem: Die Legionen in Germ. sup. Programm des grossherz. Gymnas. zu Mainz 1853 inspicere non potui.

putandae sint; quod quamvis ex ipsis rebus facile intellegi possit, tamen saepius viri docti vehementer errarunt. Patet enim eas legiones, quarum aquilae a Vitellio ad Rhenum relictae postea saepius proditione, seditione, sacramento semel iterumque rupto pollutae erant, nisi plana dimissione poenas sceleri, quod in se commiserant, accomodatas luere non potuisse; et quamquam ceterae quoque legiones Germanicae in eadem culpa versatae erant, has quidem, quarum aquilae ipsae integrae puraeque remansissent, militibus, qui sceleri interfuerant, dimissis puniri satis visum. Quae autem utraeque fuerint, satis elucet ex Tacito: primo enim aquilae legionum V et XXI in Italiam profectae sunt (Hist. I 61): deinde Fabio Valenti tota legio I Italica, Lugudunì tendens, sese adiunxit (Hist. I 64); denique cum ipso Vitellio, qui magnum exercitum „victoriae suae nescius ut ad integrum bellum" comparabat, et „reliquas Germanici exercitus vires trahebat" (Hist. II 57), quartam aquilam in Italiam venisse intellegitur eo, quod „quattuor legionum aquilae" Romam introeunt (Hist. II 89): cuius legionis haec quarta fuerit, apparet ex Hist. II 100, „quinta et duoetvicensima secutae, postremo agmine unaetvicensima Rapax et prima Italica incessere", quo loco legiones, quarum aquilae aderant, clarissime distinguuntur a „vexillis primae quartae, quintaedecumae et sextaedecumae legionum" et a „vexillariis trium Britannicarum legionum"; quarta igitur erat aquila legionis XXII primigeniae. Inde sequitur, ut legiones I, IIII Maced., XV primig., XVI a Vespasiano exauctoratae sint.[1])

---

1) primus, quod sciam, recte hoc statuit Pf. p. 70. Non opus erit, quae viri docti erraverunt in singulis legionibus, singulatim refutare: legionem XV prim. usque ad Traianum in exercitu Germ. inf. enumerant: Robert les lég. du Rhin introd. 1867 tab. I p. 14—16; idem: les armées romaines et leur emplacement 1872 p. 5 adn. 3, Hartung: Röm. Auxiliartruppen am Rhein p. 35, Bramb. praef. p. IX, Asbach W. Z. III p. 5, Grotef. Pauly IV p. 896, Klein B. Jahrbb. XXV p. 94, et fortasse alii: legionem I etiam postea fuisse censet Borghesi oeuvr. IV p. 202, legionem IIII Maced. Hartung ll. p. 34 adn. 10. — Legionem V quae post a. 823/70 non iam memoratur, etiam postea fuisse quod statuimus, fortasse aliquid offensionis habere viris doctis videtur: sed legio, nisi iam ipso a. 823/70 cum Fonteio Agrippa (Tacit. Hist. III 46) Moesiae praeside interiit (cf. Joseph b. Jud. VII 4, 3), certo ea fuit, quae sub Domitiano a Sarmatis caesa est (Suet. v. Domit. c. 6, Pf. p. 76); quod in Moesia, quae provincia nulla fere adhuc monumenta saeculi primi prodidit, legionis tituli non reperti sunt non est, quod miremur.

I. Legiones Germaniae inferioris.

Ad bellum contra Civilem peragendum accitae sunt legiones octo: sub Ceriale, qui in inferiore provincia rem gerebat, erant legiones II, VI, XIIII, XXI (Tacit. Hist. IV, 78; V, 14,); Annio Gallo, superioris provinciae legato, necesse est fuerint I, VIII, XI et quarta, cuius qui numerus fuerit, ex Taciti loco corrupto certo enucleari non potest.[1]) — Paulo autem post victoriam ad Vetera reportatam legio XIIII in Germaniam superiorem missa est: cuius in locum successit legio X gemina ex Hispania (Hist. V, 19).[2]) Bello vero peracto legiones in provincia, in qua militabant, etiam collocatae sunt atque hiberna fecerunt: erant igitur in Germania inferiore legiones II, VI, X, XXI. Sed cum Petillius Cerialis ex Germania iam a. 824/71 Britanniae praeponeretur,[3]) simul aut paulo post legio II adiutrix transgressa est in insulam,[4]) in qua post legionem XIIII degressam ad bella gravissima gerenda quarta legione opus erat. Legione igitur secunda deducta cum tres tantum remanerent, in Germaniam inferiorem ad exercitum supplendum missa est legio XXII primigenia, fortasse ex Illyrico.[5]) Quae res, quamquam aperte non traditur, tamen certa

1) cf. p. 37 adn. 1.

2) cf. p. 39.

3) Hübner Rh. Mus. XII p. 50—56; Urlichs: de vita et honoribus Agricolae p. 18—20.

4) Hübner C. J. L. VII p. 5, et Herm. XVI p. 539 sq., Momms. C. J. L. III p. 416, Grotef. B. Jahrbb. XXXII p. 77 sq. Urlichs l. l. p. 17—20 — legionem in Britannia fuisse demonstratur cippis sepulcralibus VII, 48, 185, 186, Pfitznerus, qui p. 73, 134, 210, 225 putat, legionem inde ab a. 70 usque ad a. 84 in Germ. inf. fuisse, satis eo refutatur, quod legionem uno vel duobus annis (sc. a.a. 81 et 82, quibus hic vir doctus moram Britannicam attribuit) in Br. tres illos cippos, in Germania autem per duodecim annos moratam nullum vel minimum vestigium, ne tegulam quidem reliquisse concedere ipse cogitur.

5) Pf. p. 66, 71, 147, 271 putat legionem XXII inde ab a. 71 usque ad a. 91 in Pannonia tetendisse. Sed primum haec provincia satis videbatur defendi tribus legionibus [praeter XIII et XV ibi erat leg. IIII Flavia, quod demonstrare hic longum est]; deinde quod legio, si per viginti annos in provincia, quae alioqui militaribus monumentis abundat, morata est, ne tegulam quidem reliquit, quam maxime mirum est. — Attamen legio post pugnam Cremonensem fortasse in Illyricum missa est: nam ex Tacit. Hist. III, 35 „victae legiones per Illyricum dispersae" et III 46 „Moesiae praepositus est Agrippa additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat" elucere videtur, legiones Vitellianas missas esse, ut Danuuii ripas tutarentur, et revera inde ab hoc tempore leg. I Italica est in Moesia; fortasse idem valet de legione V Alaudae cf. supr. p. 66 adn. 1, et Pf. p. 76.

esse videtur; nam in ulla alia provincia quam in Germaniis legio tendere omnino non potuit, quandoquidem monumenta, quae eam aliquamdiu alibi fuisse probare possunt, nusquam terrarum exstant; deinde superior provincia iam quattuor legionibus erat instructa (cf. infra p. 70 sqq.); denique monumenta legionis, quae sunt in provincia inferiore optime aetati Flaviorum conveniunt, certe ab ea non abhorrent. Erant igitur in Germania inferiore legiones VI, X, XXI, XXII[1]). Jam quaeritur hae legiones quomodo in provincia distributae fuerint, quibus in castris tetenderint.

De castris legionis X geminae iam supra p. 43—46 fusius disputatum est. Legionem XXII, quae legioni II adi. successerat, etiam in iisdem atque illam castris collocatam fuisse, nempe Batavoduri (Tacit. Hist. V, 20) cum per se verisimile est, tum eo confirmatur, quod plurimae legionis tegulae, quae huius aetatis esse videntur,[2]) in Hollandia repertae sunt: Bramb. 60b. Vechten, Bramb. 128h$_{1,2}$ Noviomagi [quod oppidum eodem loco erat quo Batavodurum cf. supra p. 43 adn. 2]; Bramb. 185a Calcar, Bramb. 140d,$_{1,2}$ in Hollandia loc. inc. Neque mirum est, quod eo tempore duae una legiones Noviomagi tetendisse videntur, X et XXII; immo licet conicere Romanos quanta pericula vires ferociaque Batavorum imperio inferre possent, nuper monitos robur exercitus inferioris, duas legiones, Veteribus, ubi antea duae legiones tendere solebant, in castra magis in septentriones spectantia, quin etiam in ipsos Batavorum fines transtulisse, ubi antea stationes tantum fuerant. — Sed cum, ut mittamus titulos in lapicidinis exstantes qui quid probent, vide, supra p. 44 sq. [Bramb. 672, 673], etiam ad Coloniam legionis XXII tegula Bramb. 436d. (huius certo aetatis) et tituli Bramb. 311, 328, 386 reperti sint,[3]) vix potest

1) Klein B. Jahrbb. XXII p. 120, Asbach W. Z. III p. 5, p. 18 adn. 11 contenderunt legionem XI Cl. aliquamdiu, scil. per annos 71—91 in inferiore provincia tetendisse; sed hoc plane finxerunt, ut numerum quattuor legionum inferiorum explerent et exercitum superiorem, qui iam quattuor legiones habere videbatur, levarent. Revera nullum exstat legionis monumentum in G. inf., nam tegulae Bramb. 223 q. 6 et 240a falsae sunt aut male lectae.

2) Concedendum est difficillimum esse, legionis, quae bis vel ter in inf. prov. fuit, monumenta suo quodque tempori attribuere, et eum, qui id conatur, in singulis rebus facile ad iudicii libidinem adduci.

3) tegulae Veteribus (Bramb. 223h 1—5) et Durnomagi (Bramb. 288a, 1—3) repertae et titulus Coloniensis (Bramb. 367) haud dubie posterioris aetatis sunt. — Bramb. 270 quamquam videtur esse saeculi primi, nihil movet. Bramb. 671, 674, in quibus legio iam cognominatur P. F. num huius aetatis sint, incertum; certo positi sunt post a. 842/89.

negari legionem aut totam aut eius partem ibi castra habuisse,[1]) nimirum ut Ubiis, quibus ob immotam erga Romanos fidem et ob cohortem Germanorum proximo bello subdole concisam (Tacit. Hist. IV 79) barbari infensissimi erant, praesidium praestaret; castra, quae in ipsa colonia fuisse non possunt, utrum sita fuerint in colle, qui appellatur „Eigelstein", an iam fuerint Divitiensia (Deutz), diiudicare non audeo, sed tegulae in castris Divitiensibus repertae (Bramb. 2036. Westd. Zeitschr. I p. 55) num ad primum saeculum referendae sint, valde dubito.

Legionis VI victricis monumenta[2]) cum per totam fere provinciam dispersa sint, praetoria esse mutata significare videntur: alterum Novesii, quod a. 823/70 restitutum esse tradit Tacit. Hist. V, 22, prius a legione occupatum est, quia tegulae pleraeque, quae ibi exstant (Bramb. 264a, 1—5, c.) et praecique titulus Bramb. 263 cognomine „pia fidelis" carentia ante a. 842/89 se facta esse testantur; alterum Veteribus,[3]) unde etiam stationes in Hollandia sitae praesidiis firmari solebant, certo post Domitianum a legione VI defensum est, fortasse quod iuxta colonia Ulpia Traiana condita erat: omnes enim tegulae quae quidem certas litteras exhibent neque mutilatae sunt, praebent iam illud honorificum P·F (Bramb. 186, 223c. 1, 4, 6 α, β. 144b. 1, 2, d, 131 — Leydenses Bramb. 4 B foedissime corruptae; 140b ruptae, de Noviomagensibus 128d. 1—3 nihil constat).

Legionem XXI bis in inferiore provincia per aliquantum temporis

---

1) Si miles Bramb. 311 natus Claudia Viruno in legionem dilectus est, cum ea proeliis civilibus debilitata fortasse in Illyrico supplemento augeretur, sequitur, legionem a. 841/88 vel 842/89 ad Coloniam castra habuisse; sed complures milites legionum Germanicarum ex Norico oriundi erant primo saeculo: mil. leg. IIII Maced.: Viruno Bramb. 1157, 2058, leg. XIIII „Viruno" Bramb. 1174, „Celeia" Bramb. 947, leg. XXII „Viruno" Bramb. 944; etiam ex Macedonia eques leg. XVI Heraclea Bramb. 269.

2) tegulae exstant Noviomagi (Bramb. 128d, 1—3), in museo Leydensi ex Hollandia (Bramb. 4, B. I, II, V, VI); Montferland (Bramb. 131) in Hollandia (Bramb. 140b), Elten (Bramb. 141), Cleve (Bramb. 144b, 1, 2, d), Calcar (Bramb. 186), Veteribus (Bramb. 223c, 1—6 [q], Novesii et in vicinia (Bramb. 264a, 1—5, c), Durnomagi? (Bramb. 288b), Aachen (Bramb. 629a), Burtscheid (Bramb. 631), Coloniae (Bramb. 1971); tituli Asciburgii (Bramb. 233), Novesii (Bramb. 261, 263, „Legionsbaustein aus Kalk"), Coloniae (Bramb. 336, 1982), Juliaci (Bramb. 601); praeterea Brohlenses Bramb. 654, 664.

3) recte legionem Veteribus faciunt tendentem Pf. p. 133, Schiller R. K. I p. 608, Momms. Herm. VII p. 323, Jung Rom. Provinz. p. 242 sq. alii; sed plerique sola haec castra memorant.

fuisse luculentissime apparet ex monumentis, et locis, quibus reperta sunt, et specie ipsa, quam prae se ferunt, disiunctissimis: altera enim quae omnia exstant Veteribus vel in regionibus septentrionalibus,[1]) ubi sub Augusto et ceteris Juliis legio tetendit (Tacit. Ann. I 45), et elocutionis sinceritate et cognomine „Rapacis" ubique omisso aetatis Tiberii vel Claudii se esse testantur; altera[2]) quae omnia addunt RAP. anno 823/70 priora esse non possunt, cum legio sub Claudio et Nerone Vindonissae in superiore provincia collocata fuerit, Flaviorum autem aetate non posteriora, cum legio certo sub Traiano esse desierit: itaque inde ab a. 823/70 castra legionis erant Bonnae, ubi pleraque huius aetatis monumenta reperta sunt. Erant igitur Noviomagi legiones X et XXII; ad Coloniam fortasse pars legionis XXII; Novesii legio VI, Bonnae legio XXI.

II. Legiones Germaniae superioris.

Legiones, quae sub Annio Gallo militabant, fuisse I, VIII, XI et illam quartam (XIII ?) iam supra p. 67 dictum est. Hanc vero ignotam paulo post provincia excessisse cum ex aliis causis tum inde verisimile fit, quod post victoriam ad Vetera reportatam legio XIIII ex inferiore in superiorem provinciam missa est (Hist. V 19). Itaque tendebant in Germania superiore inde ab a. 823/70 legiones I,[3]) VIII,

---

1) Veteribus Bramb. 196, 210, 1968a; 140 add. nisi error subest [„ex Batavia in museo Argentoratensi"]: nam haec tegula simillima est tegulis, quae in Helvetia et Alsatiae quibusdam locis reperiuntur. — Bramb. 185 a est legionis XXII primig.; plane incertae sunt Bramb. 223g, 1 Veteribus, Bramb. 185c, Calcar.

2) sunt Bonnae: Bramb. 492, 496, 1983, in museo Colon. — tegulae Bramb. 511c, 1—6 et add. una tegula, quae est huius aetatis certa, exstat Veteribus Bramb. 226g, 2 (fortasse Traiani initiis attribuenda?); praeterea Bramb. 656, 669 Brohl; Bramb. 678 Antunnaei; fortasse autem huc pertinet tegula Cliviae reperta B. Jahrbb. LXI p. 71 n. 13. — Tegulae Helveticae ad unam omnes cognomen RAP omittunt, quamquam constat legionem iam sub Claudio et Nerone ita cognominatam fuisse cf. J. Helv. 259; Orelli 1549 = B. Jahrbb. LVIII p. 143; sed hic usus cognomen aut addendi aut omittendi in tempore cuiusque monumenti definiendo minime neglegendus est.

1) recte Aschb. leg. I et II adi. p. 319 legionem inde ab a. 823/70 facit tendentem in Germania. — Quod Mommsen R. G. V p. 59 adn. 1, p. 145 adn. 1 putat legionem I adi. bello Batavico peracto in Hispaniam remissam esse atque usque ad a. 88 ibi fuisse, falsus esse videtur vir doctissimus. Primum enim permulta monumenta Germanica temporis aa. 88—107 spatio, per quod legio etiam aliquamdiu in expeditionibus occupata aberat (cf. infra p. 75 sq. et p. 79) non conveniunt; deinde in Hispania nullum legionis monumentum repertum est; denique

XI, XIIII. Quod vero Vespasianus in hac provincia quattuor legiones, cum ibidem sub Nerone, fortasse iam sub Claudio tres tantum fuissent, collocavit, nihil habet quo offendamur, deliberantes, Germanos quoque transrhenanos, praecipue Chattorum ferocissimam gentem (Tacit. Hist. IV 37), hiberna Romana oppugnasse et Gallorum animos minime iam pacatos fuisse. —

Deinde constat legiones I adiutricem[1]) et XIIII geminam Martiam victricem una collocatas fuisse Mogontiaci, ubi permulta earum exstant monumenta; legionem XI Claudiam Vindonissae in Helvetiis;[2]) sed dubium est, quae castra occupaverit legio VIII Augusta, praesertim cum monumentis legionis, quae per complura saecula in G. s. tendebat, ad hanc quaestionem solvendam uti non liceat. Renierus quidem (Comptes rend. de l'acad. des inscr. 1873 p. 423), quem secutus est Robert Rev. arch. XXXIV p. 231, conicit, eam inde ab a. 823/70 usque ad seditionem Antonii Saturnini fuisse in Gallia,[3]) ut pagos oppidaque, quae a Vindice olim excita fortasse nondum plane pacata erant, metu reprimeret atque domaret. Sed eodem iure licet contendere, legionem iam tum castra habuisse Argentorati, ubi postea praetorium fuisse tradit Cl. Ptolemaeus II 9, 9: quae sententia etiam eo confirmatur, quod columna miliaria Bramb. 1955 aptissime et paene certo a Zangemeister W. Z. III p. 246 suppleta anno

---

titulo II 2477 clarissime demonstratur a. 823/79 unam tantum legionem in Hispania fuisse, nempe VII geminam Quod Plin. paneg. c. 14 dicit Ulpium Traianum ex Hispania in Germaniam duxisse a. 89 legiones, eum rhetorica superlatione usum esse recte iam statuit Boissev. p. 68 et p. 47 sq.

1) monumenta legionis I adi. sunt: saxa quadrata ad muros aedificandos usurpata Korrespbl. d. Westd. Zeitschr. II, 1883, p. 51, Bramb. 1093, 1102—1105, 1286, cippi sepulcrales Bramb. 938, 1091, 1141—1148, 1288 (B. Jahrbb. LXXII p. 141 n. 2) Mogantiaci; tegulae reperiuntur: Treveris Bramb. 829a, add. Kastelli Bramb. 1377 a, 1—7, Heddernheim Bramb. 1491 a, 1—2, Wiesbaden Bramb. 1537 a, 1—3 et add. Tabernis 1822 a, 1—2 — Legionis XIIII monumenta enumerare longum est; sed de castris constat; de locis, quibus legionis tegulae reperiuntur, cf. infra p. 78 adn. 4.

2) Meyer: Gesch. der XI. u. XXI. Legion p. 128—138, qui omnes stationes enumerat cf. J. Helv. 344 et Zürich. Mitth. XV p. 217 n. 58—61.

3) Exstant sane tegulae legionis in provinciis Aquitania [Néris les Bains-Aquae Neri] et Narbonensi [Viviers in Helviis] bull. ép. de la Gaule III p. 306, quas omnes ad id tempus, quo fortasse L. Appius Norbanus Antonii Saturnini seditione repressa omnibus illis provinciis praeerat, referre vix licet; sed potuit legio, quae per complura saecula in Germania sup. erat, alio quoque tempore illis locis ad usum militarem aedificia erigere.

827/74 attributa est: Argentoratum enim, quod viae caput fuisse videtur, si inde milia numerabantur, intellegitur, iam illo tempore aliquid gravitatis habuisse: nam cum in viis publicis populi Romani, quae in provinciis per milites muniebantur, aut a colonia aut a legionum stativis aut a provinciae capite milia numerari solita sint, sequitur, quandoquidem Argentoratum neque colonia neque provinciae caput fuit, tum legionem aliquam, nempe VIII Augustam, Argentorati collocatam fuisse; sed pro certo hoc affirmare nondum licet.

---

§ 2 Inde a bello Germanico Domitiani usque ad seditionem Saturnini.

inde ab a. 836/83 usque ad a. 842/89.

I. Legiones Germaniae inferioris.

Legionem I Minerviam, quam a Domitiano conscriptam esse tradit Dio LV 24, 3, quaeritur, quo anno imperator condidisse videatur.[1]) Ex iis vero, quae supra p. 15 disputata sunt, si quidem recta esse videntur, quoniam cognomen „Domitiana“ post imperatoris, cuius a nomine tractum erat, mortem atque memoriam exsecratam usurpatum esse non iam potest, efficitur, ut cippus L. Magii Dubii B. Jahrbb. LVII p. 70 positus sit Domitiano adhuc imperante h. e. ante mensis Septembris diem XVIII anni 849/96: hic miles cum XIII stipendia meruerit, legio I Min., in qua militavit, ut post a. 836/83 vel 837/84 conscripta sit, fieri non potest. Quod si statuimus legionem novam conditam esse ab imperatore propter bellum[2]) quod praeparabatur,

---

1) Quae hac de re Grotef. B. Jahrbb. XI p. 77 et XXXVI p. 100 coniecerat legionem esse conscriptam brevi ante aut post a. 843/90, nisus illis aris Brohlensibus (n. 56, 57, 58), iam explosa sunt.

2) Plerique viri docti in eo consentiunt, quod putant, legionem esse conscriptam in locum illius, quam a Sarmatis caesam esse tradunt Suet. Domit. 6, Eutrop. VII 23 (15), nempe V Alaudae [non XXI Rapac.] Schiller R. K. I p. 532, Momms. R. G. V p. 133 adn. 1, Aschbach: Wien. Sitzungsber. XX 1856 p. 326; de anno tantum eorum variantur sententiae Pf. p. 77, 134, 221 putat a. 85, Asbach W. Z. III p. 18 adn. 11 a. 89, Klein B. Jahrbb. XXV p. 88 sq. a. 90 cf. Grotef. Pauly IV p. 871. — Borgh. oeuvr. IV p. 202 censet leg. I Min. esse substitutam in locum legionis I, quae falso appellatur „Germanica“, cf. supra p. 66 adn. 1. — Sed nullam legionem inde ab Augusto (sub hoc legiones bello Variano caesae aliis compensatae sunt) in locum legionis deletae conscriptam esse scimus; immo interierunt sub Traiano legio XXI, cui nulla successit (nam XXX Ulpia iam antea condita erat) et XXII Deiotariana post legionem II

Germanicum, tantum abest, ut hac re utcumque offendamur, ut iis, quae alii imperatores, qui et ipsi moliebantur maiorem aliquam expeditionem, fecerunt, optime confirmari sententiam nostram videamus.[1]) Et bellum contra Chattos susceptum admodum grave fuisse, certe gravius, quam scriptores rerum plerique, qui invidentes mortuo, pollentem adulantes res a Traiano gestas efferunt nimiisque laudibus celebrant, Domitiano si quae successerant, in risum vertunt atque omnibus, quae hic fecerat, obtrectant, id fuisse nobis persuadere conantur, rectissime nuper contendit Asbach W. Z. III p. 2, 5 sq., 20 adn. 21 nisus verbis Sex. Julii Frontini, auctoris et fide integerrima praediti et rerum, de quibus agitur, peritissimi. Arridet quoque sententiae nostrae, quod sub idem fere tempus legionem XXI Rap. in provinciam superiorem translatam esse apparebit (cf. infra p. 74): cui et in exercitu et in castris successisse videtur legio I Minervia: nam eam iam ante bellum Dacicum in Germania inferiore tetendisse sagacissime demonstravit Urlichs: B. Jahrbb. XXXVI 1864 p. 102 sq., et sub Domitiano eam castra habuisse Bonnae, propter L. Magii cippum verisimile est: neque audacius videtur statuere, legionem inde ab initio in his castris collocatam fuisse. Nam ad ipsum bellum tironum legiones nisi plane necessario non adhiberi solitas esse, cum per se consentaneum est, tum docet nos ipsa, quam Claudius et Traianus in collocandis novis legionibus secuti sunt, ratio. Erant igitur in Germania inferiore inde ab a. 836/83 legiones I Min. VI vic. X gem. XXII primig.

II. Legiones Germaniae superioris.

Ad exercitum Germaniae superioris, qui bello, quod parabatur, impar esse videbatur, adiuvandum cum aliunde copiae[2]) arcessitae sunt, tum ex provincia inferiore tota legio, scilicet XXI Rap., trans-

---

Traian. conscriptam; leg. VIIII Hisp. sub Hadriano, qui omnino nullam legionem creavit. Etiam legiones novae a Vespasiano iam conscriptae sunt antequam illae Germanicae exauctoratae sunt cf. Tacit. Hist. IV 68 „e recens conscriptis".

1) Claudius conscripsit ante expeditionem Britannicam legiones XV (cf. infra app. II. § 1) et XXII primigenias. Nero ante expeditionem orientalem legionem I Ital. (Suet. Nero c. 19), Traianus ante prius bellum Dacicum legionem XXX Ulpiam (Pf. p. 82 sq. p. 272) et propter provinciam novam, Arabiam, acquisitam legionem II Traianam; Marcus propter bellum Marcomannicum legiones II et III Italicas (cf. supra p. 50 adn. 1).

2) certo vexillatio leg. IX Hisp. (Britannia) bello interfuit Wilm. 1161 (cf. Tacit. Agricol. c. 26. Urlichs de vita et honorib. Agric. p. 25, Asbach W. Z.

lata est. Felicissime enim nuper coniecit Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. p. 69 in tabula aënea, Friedberg reperta, Bramb. 1416 exstare nomen Sosii Senecionis, notissimi illius consulis anni 852/99, qui secundum ea, quae in indic. I A adn. 1 dicta sunt, fere a. 837/84 tribunus fuisse videtur, quod si verum est, hoc anno legio XXI in Germania superiore fuerit necesse est. Sed cum possit quispiam fortasse recte obicere hanc argumentationem parum certo fundamento niti, affirmatur, quod Bergkius hoc modo coniecit, nobis monumenta legionis omnia, quae in provincia superiore exstant, accurate examinantibus: quorum cum duo genera clare possint distingui, alterum,[1]) cuius tegulae omnes in Helvetiis et in vicinis locis reperiuntur, alterum,[2]) cuius tegulae et tituli in Rheni ripa dextra in Moeni fluminis valle et in regione, quae appellatur „Wetterau", prodeunt: illa sine dubio sunt temporum Claudii et Neronis, sub quibus legio castra habebat Vindonissae, haec, cum loca, in quibus exstant, inde a Domitiano demum a Romanis occupata sint, et legio iam Traiani initiis esse desierit, ipsi Domitiani aetati attribuenda sunt: ipsum annum, quo legio ex inferiore provincia translata est, quamquam definiri nequit, sub Domitiano certe legio XXI iterum in provincia superiore fuit: causam eam arcessendi fuisse bellum Germanicum vix est audacius conicere.[3]) Erant igitur imperatori bellum gerenti praeter complures vexillationes totae legiones quinque,

III p. 17 adnn. 6 et 9) cohortes praetoriae cum ipso imperatore profectae (V 3356); vexillatio aut legionis XV Apoll. aut legionis V Maced. (altera in Pann. altera in Moesia), si recte ad hoc bellum refertur titulus Arch. ep. Mitth. VIII p. 219 n. 48.

1) tegulae omnes cognomine R(apacis) carentes quibus locis repertae sint, enarrat Meyer: Gesch. der XI u. XXI Leg. p. 128—138 cf. Bramb. 1919, 1, 2 et Zür. Mitth. XV p. 217 n. 58—67; tituli sunt J. Helv. 248 (cf. Zür. Mitth. XV p. 211 n. 29), J. Helv. 252, 259 (cf. Orelli 1549). Miles (Bramb. 1057). Mogontiaci sepultus, qui et suo ipsius et legionis cognominibus omissis demonstrat, se esse temporis Claudii vel Neronis, putandus est esse mortuus in expeditione: nam Mogontiacum, quod erat caput provinciae (Bergk Zur Gesch. u. Topogr. p. 79 sq. = B. Jahrbb. LVIII p. 127 sq.), omnes legiones saepius cogebantur; inde omnes fere expeditiones in Germanos profectae sunt.

2) tegulae exstant: Mogontiaci (Bramb. 1377, 1, 2) Aquis Mattiacis (Bramb. 1999 b) Höchst (Bramb. 1502 b) Hofheim (Bramb. 1503 b) Nied (Bramb. 1501 c) Heidelberg (Bramb. 1708 add.) Friedberg (secundum Cohaus. l. l. p. 94 LEG. XXI [haud dubie fracta]); omnes praebent post numerum litteram R. Tituli sepulcrales Zahlbachienses (Bramb. 1206, 1207), praeterea (Bramb. 1416) Friedberg. Num etiam B. Jahrbb. IX p. 140 huc referendus sit, dubium, cum etiam ad annos 70—83 pertinere possit.

3) cf. Asbach W. Z. III p. 20 adn. 21, Cohaussen l. l. p. 184.

I, VIII, XI, XIIII, XXI.[1]) Tantis vero viribus bello feliciter patrato, iam a. 837/84, quo Domitianus Romae triumphavit et Germanicus a senatu appellatus est (Momms. R. G. V p. 136 adn. 1, Schiller R. K. I p. 528 adn. 1), ut terra, ex qua barbari expulsi erant, tuto occuparetur et Romano cultu imbueretur, limes duci et castella muniri coepta sunt, inde a vico Rheinbrohl, qui in dextra Rheni ripa situs est e regione termini provinciae Germaniae superioris in septentrionem spectantis, Tauno monte et campis circa flumina Wetter et Nidder patescentibus (Wetterau) inclusis usque ad Grosskrotzenburg, quod castellum ad Moenum flumen situm est (cf. Cohausen: Der röm. Grenzwall p. 349 sq., Hübner: B. Jahrbb. LXIII p. 28 sq.). Quo in opere occupatus exercitus provinciae paulo post imminutus esse videtur: nam cum a. 838/85 vel 839/86 ad Danuvium gravissimum bellum Dacicum ortum esset (Schill. I p. 529 adn. 6), non solum ex Britannia legio II adiutrix in Moesiam arcessita est (Momms. R. G. V p. 168 et 173, Hübner, Herm. XVI p. 540), sed etiam legio I adiutrix ex Germania superiore: haec enim provincia ex quinque legionibus, quibus tum ornata erat, unam facile dimittere potuit: quam legionem fuisse I adiutricem

1) fortasse licet hic coniecturam proponere: nam si quid video, qui exercitus G. s. fuerit tempore belli Germanici, nobis traditum est tegulis in vico Mirebeau repertis (Hermes XIX p. 489, I, II; ibid. n. III, IV ad aliam aetatem referendae videntur). Quae viris doctissimis videbantur pertinere ad a. 822/69 cum legiones ex Italia et aliunde in Germaniam ad bellum contra Civilem peragendum mitterentur; sed quominus hoc recte iudicatum sit, complura obstare mihi videntur. Primum enim, ut omittam non omnes, quae tum simul proficiscebantur, legiones memorari, has ipsas legiones coniunctas tum tegulas facere potuisse omnino nego: nam utrumque exercitum alterum ab altero inde ab initio sub Ceriale et Annio Gallo ducibus separatum fuisse ex Tacito satis elucet; itaque sive tegulae illis prioribus mensibus, quibus legio XXI adhuc in his regionibus versabatur, coctae sunt, neque legio XIIII, quae tum in Nerviis Tungrisque erat (Hist IV, 79) et postea demum Cerialis exercitui se adiunxit (Hist. V, 14), neque legiones I, VIII, XI, quae haud dubie sub Annio Gallo erant, cum legione XXI coniunctae esse possunt; sive temporibus, postea quam legio XIIII in G. s. missa est, tegulae attribuendae sunt, legionis XXI, quae tum in G. i. militabat, vexillatio non potest cum legionibus I, VIII, XI, XIIII, quae omnes sub Gallo erant, coniuncta fuisse. Deinde quomodo explicatur, quod in aliis tegulis quinque, in aliis, legione I, quam etiam postea in Germania moratam esse supra vidimus (p. 70 adn. 1) omissa, quattuor tantum legiones commemorantur? Haec omnia optime expediuntur, si tegulas a legionibus G. s. coctas esse alias inter a. 83 et a. 86, alias, in quibus desideratur quinta, post legionem I ad Danuvium degressam inter a. 86 et 89 iudicamus. — Atenim sub Domitiano nihil causae erat cur legionum vexillationes in Lingonibus aedificia militaria exstruerent; egregie autem loca conveniunt rebus anni 69, si

eo comprobatur, quod huius legionis tegulae, quae complures reperiuntur et in Rheni ripa sinistra (Mogontiaci, Treveris, Tabernis), et in dextra locis proximis (Kastelli, Aquis Mattiacis, Heddernheim), in stationibus paulo longius amotis, Friedberg et Bergen, quae iam sub Domitiano occupatae sunt, et in ipsius limitis castellis plane desiderantur (tegulae congestae sunt supra p. 71 adn. 1). Accedit, quod eandem legionem etiam sub Nerva ad Danuvium militasse infra demonstrabitur.[1]) — Erant igitur inde ab a. fere 839/86 in Germania superiore legiones VIII, XI, XIIII, XXI.

---

§ 3 Inde a seditione Antonii Saturnini usque ad Domitiani mortem.

inde ab a. 842/89 usque ad a. 849/96.

I. Legiones Germaniae inferioris.

Legiones Germaniae inferioris cum in seditione Antonii Saturnini et exercitus superioris pie atque fideliter erga Domitianum se gessissent, ab imperatore cognominibus „piarum fidelium (Domitianarum)“ honoratae sunt (cf. supra p. 11—16). Paucis vero annis post, fortasse iam a. 843/90 legio XXII primig. p. f. ex inferiore in superiorem provinciam duabus legionibus degressis paene nudatam translata est (cf. infra p. 79). Remanebant igitur in Germania inferiore legiones I, VI, X. Num autem ex iis una vel earum vexillationes bellis ad Danuvium gestis interfuerint, cognosci nondum potest.[2]) Utrum deni-

legiones ad bellum profecturas hic stationes vel horrea erexisse statuimus (cf. Momms. l. l.). Sed his ipsis locis ipsis Domitiani temporibus opus visum fuisse aedificiis militaribus, demonstrant tegulae legionis VIII Aug. (bull. ép. de la Gaule III p. 306 n. 5, 6), Mirebeau (praeterea Aquis Neri) repertae, cum nomine L. Appii legati, coctae fortasse post ipsam Antonii seditionem repressam a. 89 (cf. Momms. Herm. XIX p. 438, R. G. V p. 137 adn. 1). Itaque quia hic sub Domitiano aedificia a militibus erecta esse omnino concedendum est, quamquam causam, cur hoc factum sit, nescimus, tamen nihil impedit, quominus illas quoque tegulas Hermes XIX p. 439 I, II paucis annis ante a. 89 factas esse censeamus.

1) Pf. p. 78 putat titulo Henz. 6490 = Herzog 104 = Rev. épigr. I n. 282 demonstrari, legionem I adi. bello Domitiani Dacico interfuisse; sed primum incertum est, utrum bellum significetur, Domitiani aut Traiani; deinde etiam dona militaria non ad legionem I adi., sed ad IIII Flaviam pertinent, id quod hic demonstrare longum est. — Iam tum, simul cum legione I, etiam XI Claudiam ad Danuvium abiisse contendit Pfitznerus sine apta causa (cf. infra p. 79).

2) Fortasse huc referendae sunt tegulae inscriptae LEG VI HIS vel LEG VI H in Pannonia inferiore repertae, quae legionem VI vic. significare videntur cf. Boissev. p. 19, 20 adn 1. Certo bello interfuerunt legiones II adi. (X 135) et XIII gemina (III 291) et IIII Fl. aut V Maced. (Wilm. 1589).

que legio XXI bellis Dacicis et Sarmaticis interim finitis post Nervam redierit in provinciam inferiorem, necne, investigare hic omittamus, cum haec quaestio iam extra fines, quibus hanc appendicem circumscripsimus, egrediatur.

II. Legiones Germaniae superioris.

Tabe seditionis Antonianae quot et quae legiones infectae fuerint, adhuc dubium.[1]) Sed quantum video, nihil est, cur sceleris quod aequaliter ad omnes pertinebat, culpam in unam alteramve legionem transferendam esse putemus. Primum enim legiones duae Mogontiacenses, XIIII et XXI, certo Antonium secutae sunt: nam Antonius, si his invitis vel insciis pecunia ad aquilas deposita potitus esset, continuo omnium animos a se abalienasset; deinde etiam ceterae,[2]) si Antonio non favissent, facile eum, quominus cum barbaris de auxilio ferendo ageret, vel cum iis copias coniungeret, impedivissent; denique etsi Germanorum vires nondum accesserant, tamen seditiosi sine proelio et bello exstingui non potuerunt. Accedit, quod id, quod fortasse legiones, ut Antonium imperatorem salutarent, promptiores reddidit atque potissimum commovit, labores dico atque molestias, quibus iam per complures annos in limite castellisque exstruendis atque in terris spatiosis defendendis militum vires exhauriebantur animique exacerbabantur, ad omnium aequaliter manus et animos pertinebat. Quae cum ita sint, totum qui tum erat legionarius, exercitum superiorem, legiones VIII, XI, XIIII, XXI, contra Domitianum arma movisse, quamquam non constat, tamen a probabilitate

1) Quae de hac re viri docti coniecerunt, alia nullis alia falsis lubricisque fundamentis nituntur. Pf. p. 77 sq. putat, quod Suet. v. Domit. c. 7 dicit Antonium ex nummis apud duarum legionum hiberna depositis fiduciam cepisse, effici ut tum duae tantum legiones in prov. sup. fuerint; quas fuisse legiones VIII et XIIII sequi ex titulo X 1254, qui est aetatis Alexandri Severi! Bergk Zur Gesch. u. Topogr. p. 68—71 censet, unam tantum legionem Antonium secutam esse, quia Appius, quem ducit fuisse procuratorem Raetiae, cum paucis alis cohortibusque seditionem repressisset; hanc unam fuisse XXI Rap. propter numerum eius in tit. J. Helv. 248 exsculptum [idem fere censent Grotef. Z. f. Alterth. 1840 p. 661 (paulo discrepat in Pauly IV p. 898) Meyer: Gesch. der XI. u. XXI. Legion p. 143 adn. 1]. Sed neque, cuius legionis numerus ille exsculptus sit, neque quam ob causam hoc factum sit, constat; et legionem XXI etiam fuisse sub finem Domitiani demonstrat titulus V 7447: homo, qui legatus legionis fuit sub Traiano, tribunus legionis XXI vix ante a. 91 vel 92 fuisse potest. — Renier: Mém. de l'acad. des inscript. 1872 p. 424, cui assentitur E. Desiardins: géogr. de la Gaule III p. 409, putat seditiosas fuisse legiones XI et XXI.

2) id quoque, quod harum legionum monumenta nullum fidei servatae vestigium praebent, non neglegendum est.

non abhorret.[1]) — Interea belli mole ad Danuvium magis magisque urgente, cladibus nonnullis acceptis, legatis et legionibus caesis Dacico bello, cui iam vires vix sufficiebant, annexum erat novum, Suebicum et Sarmaticum, quod Pannoniae[2]) potissimum provinciae imminebat. Cui necessitati ut obniteretur, Domitianus legiones in Pannoniam misit ex Germania, ex eo ipso exercitu, qui nuper desciverat, non minus securitati suae, cum homines seditiosos externo bello implicaret, quam publicae utilitati, cum viros fortissimos et armis promptissimos barbaris obiceret, providens:[3]) erant legiones XI Cl. et XIIII g. Huius enim tegulae in regionibus ad Moenum et Nidder flumina sitis cum superfluant, in ipsis limitis castellis plane desiderantur;[4]) praeterea in terris a Moeno in meridiem vergentibus legionis monumenta non exstant nisi Heidelbergae tegula (Bramb. 1708 add.) et Aquis cippus sepulcralis (Bramb. 1658). Accedit, quod in Pannonia inferiore tegulae legionis repertae sunt,[5]) quibus, cum legio semper in Pannonia superiore tetenderit, non potest non demonstrari, legionem in Pannonia iam fuisse, antequam haec provincia in superiorem et inferiorem divideretur, h. e. ante bella Dacica Traiani;[6]) et quia Traianus minus e Pannonia quam ex Moesia superiore et inferiore rem gessit, Domitiano autem cum Marcomannis, Quadis, Jazygibus, quorum robur erat ipsa e Pannoniae regione, bellandum fuit, verisimillimum est, legionem XIIII ad bellum Suebicum Sarmaticum nescio quo anno a Domitiano e Germania abductam esse. Legionis vero XI Claudiae

---

1) Hoc si verum est, tollitur causa, cur legionem aliquam propter hanc seditionem exauctoratam esse iudicemus; recte hoc intellexit Schiller R. K. I p. 524 adn. 4 add p. 942: „nahmen 2 Legionen an dem Aufstand theil, so ist die Vermuthung Bergk's, dass leg. XXI infolge des Aufstandes kassirt sei, mindestens unwahrscheinlich, wahrscheinlich unmöglich".

2) cf. Martial ep. VIII 15, 1 „dum nova Pannonici numeratur gloria belli"

3) simili modo Vespasianus legiones Vitellianas devictas misit in provincias Illyricas, ut Dacos et Sarmatas repellerent cf. Tacit. Hist. III 35 et 46 et supra p. 67 adn. 5.

4) loca, in quibus tegulae legionis reperiuntur, sunt: Castel, Friedberg, Heddernheim, Hoechst, Hofheim, Nied, Rambach, Roedelheim, Wiesbaden, Zahlbach cf. Hammeran W. Z. II p. 194, praeterea Tabernis (Rheinzabern) Asbach W. Z. III p. 20 adn. 21, Cohausen: Der röm. Grenzwall p. 183 „Die 14. Legion war wahrscheinlich die Erbauerin des Kastells Wiesbaden und blieb bis etwa 96 (?) in Germanien".

5) III 3755 Mursellae; certe inde ab Hadriano in his regionibus legiones non fuerunt.

6) cf. Marquardt R. St. I² p. 292 adnn. 9 et 10.

et ipsius in Pannonia tegulae exstant Bregetione,[1]) quas ad Domitiani tempora referendas esse multo verisimilius videtur: nam legio a Traiano e Germania, ubi etiam a. 851/98 et sequentibus erat, in Moesiam inferiorem translata est, haud scio an post demum bella Dacica. Exercitui autem Germanico superiori ita deminuto subvenit ex inferiore provincia legio XXII primigenia, quam sub Domitiano post a. 842/89 in provincia superiore fuisse sequitur ex titulo Bramb. 1626 et tegula Bramb. 1377 g. 31;[2]) anno 850/97 legio in provincia superiore commemoratur titulo Hadriani III 550, collato cum verbis Spartiani v. Hadr. c. 2 § 5. — Erant igitur in Germania superiore aetate belli Suebici Sarmatici legiones VIII, XXI, XXII.

Hoc bellum Domitianus non ad finem perduxisse videtur: nam bellum Suebicum,[3]) quod sub Nerva erat, haud dubie extrema pars, quasi appendix illius, quod Domitianus gesserat fuisse putanda est: profecto sub Domitiano provinciae Danuvianae non ad tantam securitatem redierant ut illae legiones in Germaniam sine damno remitti possent: immo videmus legionem I adiutricem etiam in bello Suebico Nervae ad Danuvium militasse,[4]) et constat legionem XIIII numquam ad Rheni ripas rediisse. Quo vero tempore legio XI Cl. veteribus hibernis Germanicis reddita sit, in quibus sub Traiano aliquamdiu erat,[5]) utrum sub Domitano an post Nervam,[6]) hic in medio relinquendum est.

---

1) III 4658a et Eph. ep. II p. 433 n. 921 — neutrius legionis milites vel centuriones tituli praedicant in his bellis a Domitiano donatos esse donis militaribus, quae quidem certo huc pertinent.

2) num Bramb. 673 huc referendus sit, dubium.

3) cf. Momms. R. G. V p. 202; hoc bellum memoratur in titulo V 7425 eodem haud dubie pertinet „laurus illa ex Pannonia adlata“ (Plin. paneg. c. 8) et Nervae Traianique cognomen Germanici cf. supra p. 47 adn. 1 — bellum Suebicum ad Danuvii legiones pertinere, non ad Germanicas, ut putat Pf. p. 75, 219, demonstravit Momms. Herm. III p. 113 cf. Asbach W. Z. III p. 25 adn. 50. — Suebos ad Danuvium sedes habuisse tradit Tacit. Annal. II, 62 et 63; ipsa ex Pannonia legio iis obicitur Annal. XII 29.

4) cf. V 7425.

5) hoc demonstrat titulus Bramb. 1666, ante bella Dacica, ut videtur, positus; etiam legio I adi. tum in Germania erat.

6) fortasse aliquid elicere licet ex serie legionum, in quibus L. Antonius Silo Bramb. 1626 stipendia fecit: ex legione IIII Fl. Pannonica translatus in in legionem XI Cl. tempore belli Sarmatici, in Germaniam cum hac legione reversus, iam sub Domitiano in legionem XXII primig. translatus est; sed hoc incertissimum est.

Legiones Germaniarum sub Flaviis.

	Brambach	Pfitzner	sentent. supra proposita.
a. 70—72	G. inf. legg.: VI, X, XV, XXI	G. inf. legg.: II, VI, X, XXI	G. inf. legg: VI, X, XXI, XXII
„ 73—75	„ sup. „ VIII, XI, XIIII, XXII	„ sup. „ I, VIII, XI, XIIII	„ sup. legg: I, VIII, XI, XIIII
„ 76—78			
„ 79—81			
„ 82—84	G. inf. legg.: VI, X, XV, I Min.		G. inf. legg: I Min. VI, X, XXII
„ 85—87	„ sup „ VIII, XI, XIIII, XXII	G. inf. legg: I Min. VI, X, XXI „ sup. „ I adi. VIII, XI, XIIII	G. sup. legg: I adi. VIII, XI, XIIII, XXI
„ 88—90		G. inf. legg: I Min. VI, X, XXI	G. inf. legg: I Min. VI, X, XXII „ sup. „ VIII, XI, XIIII, XXI
„ 91—93		„ sup. „ VIII, XIIII	G. inf. legg: I Min. VI, X „ sup. „ VIII, XXI, XXII.
„ 94—96		G. inf. legg: I Min. VI, X, XXI	
Nerva	G. inf. legg.: VI, X, XV, I Min. „ sup. „ VIII, XI, XXII, I adi	„ sup. „ I adi. VIII, XI, XXII	

APPENDIX II.

§ 1 Quando legio XV Primigenia in Germaniam venerit, quaeritur.

Ineunte anno 822/69 praeter legionem XV Apollinarem, quam iam sub Augusto fuisse constat, illo puncto temporis sub Vespasiano legato in Judaea militantem (Tacit. Hist. V 1; Joseph. b. J. III 4, § 2 et multis aliis locis), altera XV occurrit (Tacit. Hist. I 41, 55) cognomine „Primigeniae" ornata (X 4723, Bramb. 479, 480), quae a quo principe constituta et quando in Germania inferiore, ubi a. 822/69 tendebat, collocata sit, traditum non habemus. Itaque cum adhuc omnes fere viri docti, Grotefendium (Pauly IV p. 895) secuti, iudicassent legionem XV simul cum legione XXII Primigenia,[1]) quam verisimillimum est a. 796/43 conscriptam esse, ut Germaniae superioris exercitum Britannica expeditione attenuatum[2]) suppleret, a Claudio constitutam et eandem ob causam, ob quam legio XXII in superiore, in inferiore provincia collocatam esse, nuper Pfitznerus (p. 30 et p. 40) legionem certe XV prim. a Nerone a. 819/66 medio conditam et mense decembri anni 821/68 ex Pannonia in Germaniam translatam esse (p. 50) demonstrasse sibi visus est.

I. Sed primum quidem Josephi locus, qui cum a. 819/66 undeviginti legiones enumerare videretur, Pfitznerum ad illam sententiam adduxit solus, neque ad a. 819/66 pertinet et provinciis Illyricis

1) haec iam erat sub Claudio in Germania collocata, ut demonstrat titulus Graecus: bullet. de corresp. hellén. V 1881 p. 469: „Τιβ. Κλαύδιος Κλεώνυμος χειλιαρχήσας ἐν Γερμανία λεγεῶνος ΚΒ Πρριγενίας", qui homo fuit frater notissimi illius medici Claudii, Xenophontis cf. Tacit. Annal. XII 61 et 67.

2) ex Germaniis abductae erant legiones II et XIIII ex provincia superiore, legio XX ex inferiore; praeterea ex Pannonia legio VIIII, cf. Hübner: „Exercitus Britannicus" in Hermes XVI p. 520 sqq.

quattuor legiones attribuens[1]) numerum viginti legionum, quae in provinciis ab auctore commemoratis tendebant, explet. Deinde etiamsi res non ita se haberet, tamen Josephus erroris potius arguendus et plane neglegendus erat prae certis atque haud ambiguis monumentorum testimoniis: miles enim, qui quinque stipendia meruit in legione[2]) Bramb. 479, quandoquidem iam vere anni 823/70 legionem omnibus militibus, qui in Germania relicti ad Vetera barbaris se tradiderant, occisis deletam esse constat,[3]) non potest non ante annum 818/65 ineuntem in eam dilectus esse; et titulus X 4723, in quo legio XV primigenia nominatur simul cum legione VII Macedonica,[4]) quae iam Claudii initiis cognomina „Claudiae piae fidelis" adepta per omnia saecula retinuit, sub Claudio eiusque prioribus annis positus sit necesse est. Itaque cum Pfitzneri sententia repudianda esse videatur, qua alia re, princeps, ut novas legiones crearet magis commoveri potuerit,

1) nam Josephum unam legionem in duo milia militum, qui Thraciae praesidebant et in tria milia, qui in regno Bosphorano tendebant, divisisse iam supra p. 33 adn. 3 et p. 35 monuimus.

2) haec omnia in leg. XV prim. eum meruisse persuasum habeo: nam, quae adhuc viri docti putarunt, legiones XV et XXII primigenias ex legionibus XV Apoll. et XXII Deiot. dimidiatis ortas esse, vera esse non possunt: neque enim simile quid umquam factum est, et quomodo legiones hoc modo constitutae cognomen accipere potuerint „primigeniae", quod vertitur „die erstgeborene", non video: sive novae legiones veterum aquilas adeptae sunt, quod plerique credunt, veterum legionum dignitas immerito novarum gratia imminuta est; sive novae novis aquilis instructae sunt, cognominatio illa plane inepta erat. Quo modo cognomen potius explicandum mihi videatur, exponere non huius loci est.

3) Tacit. Hist. IV, 60; eam eodem anno exauctoratam esse recte statuit ipse Pf. p. 70, cf. supra p. 66 et adn.

4) hanc legionem eandem esse ac VII Claudiam certissime demonstratur titulo X 1711: homo qui in VII Mac. stipendio meruerat, post alia officia procurator Tib. Claudii Caesaris Aug. factus est: eo tempore haec una legio VII fuit. Falso putavit Pf. p. 4 legionem VII Maced. esse eandem ac VII a Galba conscriptam. — legio VII Maced. occurrit in titulis X 1711, 4723, 8241 = 726*, Eph. ep. V p. 85 n. 229 (VI 3658) aetatis Juliorum imperatorum. Sane concedendum est, titulo X 4723 nos quodammodo offendi: nam Italicus, quomodo ex legione VII ante a. 796/42, quo legionem cognomina Claud. p. f. sibi peperisse tradit Dio LX, 15, 1—4, in legionem XV prim., quam anno 796/43 demum creatam esse verisimile, transferri potuerit, non apparet; sed fortasse temporum ratio aliquomodo mutanda est. Caligula, quem cohortes praetorias numero auxisse ad summam probabilitatem adduxit Bohn: Die Heimath der Prätor. p. 6, etiam exercitum legionarium haud scio an auxerit, nimirum ad expeditionem Britannicam vel Germanicam (cf. Suet. Calig. c. 43 et 44 sq. Schiller R. K. I p. 311 adn. 4 et 5) suscipiendam?

quam expeditione Claudii Britannica, non video, praesertim cum quod haec nobis tradita non sunt, minime offendi debeamus. Primum enim inde a fine anni 800/47 usque ad annum 819/66 auctore optimo, qui magnas certe res, quae contra externos gerebantur, et quae ad exercitus totamque rem militarem pertinebant, satis diligenter narrat, uti licet, ita ut intra hos annos legionem creatam esse prorsus negandum sit; de tempore autem ab anno 790/37 usque ad annum 800/47 narrantes non exstant, nisi scriptores, qui aut aetate multo posteriores res summatim tantum perstrinxerunt, aut ea, quae scire maxime nostra interest, plane omittentes nugas tantum et fabellas composuerunt. Deinde ab divi Augusti temporibus usque ad Traianum Claudii expeditio Britannica haud dubie maxima omnium et gravissima erat et rem militarem legionumque stativa eo magis mutare debuit, quod quattuor legiones non ad bellum modo gerendum, sed ad insulam spatiosissimam et gentibus ferocibus infensissimam in perpetuum occupandam deductae sunt.

Quae cum ita sint, quod omnes antea viri docti putarunt, summa probabilitate commendari atque legionem quoque XV a Claudio ante expeditionem Britannicam creatam esse censeo.

II. At legio, licet iam ante annum 819/66 conscriberetur, potuitne anno demum 821/68 in Germaniam transferri?[1]) Sed, ut omittamus, a. 821/68 nihil fuisse, cur Galba exercitum Germanicum, qui serius et cunctantius sacramento pro eo adactus atque tunc ob Fontei Capitonis caedem ei infensus erat (Tacit. Hist. I, 8, 58), ultro viribus augeret, legio XV, si per duos tantum annos (68 et 69), per quos magna militum pars in Italia aberat, in Germania morata vestigia vel exigua atque tenuia reliquisset, quam maxime mirabile esset. Sed monumentorum copiae non solum duorum annorum spatium minime convenit, sed ne anni quidem ab anno 66 usque ad a. 70 sufficiunt, praesertim cum duo legionis praetoria, quae eodem tempore occupari non sole-

---

1) causam, qua commotus Pf. p. 50 legionem XV prim. inde ab anno 66 usque ad a. 68 in Pannonia collocavit, nullam esse vix est quod moneam: Marium Celsum ad Illyrica vexilla missum esse, si quidem hoc ratione explicari debet, alio quoque modo expediri potest. — centurionem X 4723, qui stipendia fecit deinceps in legionibus VII Mac. XV primig. XIII gem., quas putat Pf. ab aestate usque ad mensem decembrem anni 68 in Pannonia simul tetendisse, per hos sex menses ex prima legione in secundam, ex secunda in tertiam translatum et statim ad primipilatum promotum esse (Pf. p. 50) nemo est, qui credat.

bant, discerni posse videantur: id quod moram quattuor annis aliquanto diuturniorem fuisse indicat, atque, etiamsi alia testimonia deessent, per se demonstrat, legionem iam ante a. 819/66 conscriptam esse, quippe quae iam antea in Germania tenderet. Et quamqnam ipsum annum, quo legio in Germaniam venit, enucleare nobis nondum licet, tamen, si quidem supra p. 83 recte statuimus legionem simul cum legione XXII creatam esse, quin iam inde ab initio in Germania inferiore castra habuerit, vix dubium esse potest:[1]) nam cum in locum legionis II Augustae Argentoratensis legio IIII Maced., in locum legionis XIIII Mogontiacensis legio XXII successissent, legionis autem VIIII castra Pannonica alia legione occupare non opus esse imperatori videretur [nam usque ad Vespasianum duae tantum legiones Pannoniae praesidebant], legio XV, si eo consilio creata erat, ut locum legionum in Britanniam abductarum expleret, solis in castris legionis XX potuit collocari, quae fuerant in Germania inferiore ad Aram Ubiorum.[2]) Et legionem XV continuo huc translatam esse confirmatur cum eo, quod in ulla alia provincia quam in Germania eius monumenta non exstant, tum eo, quod duo cippi sepulcrales militum reperti sunt (Bramb. 479, 480,[3]) Bonnae, ubi ante coloniam Agrippinensem deductam non tam ipsa legionum praetoria quam legionariorum stationes, quae a legionibus ad Aram Ubiorum consistentibus occupabantur, fuisse videntur.[4]) Etiam tegulae legionis exstant Bonnae (Bramb. 511,b) et Coloniae (Bramb. 436c, 1971), quas ante a. 803/50 factas esse verisimile est. Nam cum hoc anno in oppidum Ubiorum colonia veteranorum deducta esset (Tacit. Ann.

1) hoc iam omnes viri docti statuerunt, qui legionem a. 797/43 conscriptam esse putant: Bramb. praef. p. IX, Momms. R. G. V p. 159, Schiller R. K. I p. 326. Solus Hartung: Röm. Auxiliartr. p. 26 putat eam legioni III Gallicae in Germania successisse; sed cf. infra p. 90 adn. 3 [nam H. non IIII Scythicam, ut alii viri docti iudicant, sed III Gallicam in Germania aliquamdiu fuisse censet].

2) Tacit. Annal. I 37, 39, quin haec ara fuerit eodem loco, quo situm erat oppidum Ubiorum, quod a. 50 coloniae iure donatum est, dubitare non licet cf. Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. p. 137—144. — libellum Fr. Schwannii: Wo war das Lager der I. u. XX. Legion zur Zeit des Germanicus Bonn 1881 inspicere non potui, sed verisimile est eum falso castra legionis tribuere Bonnae. — monumenta legionis sunt: milites Bramb. 268, 377, 2028 (378), veterani Bramb. 88, B. Jahrbb. LXXII 1882 p. 60, tegulae Bramb. 128a, 1822 falso lectae sunt pro leg. XXX V·V· vel XXII.

3) hi cippi, si legio a. 43 creata est, fortasse a. 47 et 48 positi sunt.

4) stationes in locis, quibus postea legionum castra aedificata sunt, iam antea fuisse demonstratur cippo Bramb. 268 militis legionis XX Novesii reperto.

XII, 27), legiones, quae ibi collocatae erant, transferri oportuit in alia castra:[1]) itaque legio XV venit Vetera,[2]) quae castra legione XXI ante paucos annos degressa altera duarum legionum, quae ibi solebant tendere, carebant. Quibus in hibernis legio morata est etiam a. 823/70 (Tacit. Hist. IV 35 et al. l.).

Itaque quamquam quo anno legio in provinciam inferiorem venerit, conicere tantum possumus, tamen certissimum est, eam iam multo ante a. 66 in Germania fuisse: erant igitur hac in provincia quattuor legiones[3]) eae, quae etiam a. 822/69 ibidem consistebant. Nam legiones I et V umquam ex Germania abductas esse ignoramus, et legio XVI, quae sub Tiberio in provincia superiore Mogontiaci[4]) castra habuerat (Tacit. Annal. I, 37), non potest non translata esse in inferiorem sub Claudio: primum enim legionis tegulae, quae sub Claudio fortasse iam ante a. 803/50 numeris legionum signari coeptae sunt, non exstant in Germania superiore;[5]) deinde etiam militum duodecim, quorum cippos sepulcrales habemus, novem cognomine carent,[6]) tres tantum eo ornati sunt.[7]) Quae cum ita sint, iam Claudius,[8]) nescio

---

1) cf. Momms. Hermes VII p. 302.

2) adhuc Veteribus tegulae tantum legionis repertae sunt Bramb. 223f. 1—4; sed hoc cave ne nimis mireris, cum castra Vetera omnino rarissima monumenta produxerint e. g. legionis V Al., quae octoginta annos ibi consistebat, unus adhuc cippus exstat praeter tegulas (Bramb. 218). — stationes Noviomagi (-Batavoduri cf. supra p. 43 adn. 2), Cliviae (-Arenaci cf. p. 43) in Hollandia et in oppido Crefeld (Bramb. 128f, 140c, 144c, d, 240b) ex hibernis ad Vetera collocatis a legione occupatae sunt. — de lapidibus Bramb. 685, B. Jahrbb. L/LI 1870 p. 192 Brohlensibus v. supra p. 45.

3) cf. supra p. 31.

4) praeter cippos sepulcrales Bramb. 1018, 1079, 1080, 1197—1205, 1303 confer V 5747 „veteranus leg. XVI curator civium Romanorum Mogontiaci" — Borbitomagi exstat Bramb. 898.

5) nam quod in plumbo, in fundamentis pontis Mogontiacensis reperto, exstant litterae IVX ƆƎJ, quibus legionem XVI significari mihi persuasum est, aliud est (West. Zeitschr. Korrespondenzblatt I p. 59).

6) Bramb. 1079, 1080, 1197, 1200—1204, 1303.

7) Bramb. 898, 1198, 1199; incertum est Bramb. 1018 et 1205. Quam aetatem haec res indicet, vide C. J. L. III p. 281.

8) monumenta sane, quae in inferiore provincia exstant, numero multo exiliora sunt, quam quae in superiore [Bramb. 269 (657) 23c, 245c, $_1$, $_2$, 262, 276, 279 (707b?)]; sed respiciendum est, nulla castra lapidum copiam, quae vel ferme comparari potest cum divitiis Mogontiacensibus, produxisse. — Ex eo, quod legio XVI sub Tiberio in superiore, a. 68 in inferiore, legio XXI sub Tiberio in inferiore, a. 68 in superiore provincia tendebant, concludere, has legi-

quo anno legionem XVI e superiore provincia Mogontiaco abductam in inferiore Novesii collocasse videtur; itaque inde a Claudio usque ad bella civilia anni 822/69 exercitum Germaniae inferioris non mutatum esse censeo.

---

§ 2 Quando legio XIII Gemina e Germania in Pannoniam translata sit, quaeritur.

Primum considerandum est, num, quod posuit Pfitznerus p. 42, 117, 255, legionem XIII anno 821/68 castra stativa mutasse, probari posse videatur; deinde cum Pfitzneri sententia repudianda fuerit, investigandum, quo principe vel quo anno legionis transferendae causa fuisse putanda sit.

I. Legionem XIII, quae a. 767/14 in Germania superiore fuerat,[1]) constat ineunte anno 822/69 tetendisse in Pannonia[2]) (Tacit. Hist. II 11; III 1), atque ut ceteras legiones in Pannonia et Delmatia collocatas et ipsam ad Othonem, a cuius partibus stabat, contra Vitellium, qui ab exercitibus Germanicis imperator salutatus erat, adiuvandum vexillationem in Italiam e Pannonia misisse (Hist. II 24, al. ll.). Hanc igitur in provinciam legionem translatam esse mensibus Aprili vel Maio anni 821/68, ut defenderet provinciam, quae legionibus Illyricis [VII Cl. XV prim. VIII Aug. XI Cl. secundum Pf.] a Nerone ad imperium fulciendum in Italiam arcessitis plane nudata erat, putat Pfitznerus ll. ll.

Sed primum, ut taceam minime verisimile esse, in locum legio-

---

ones inter se provincias mutasse, falsissimum est: primum enim eiusmodi translatio supervacanea, quam ad rem spectaverit, non intellegitur; deinde legiones non altera in alterius castra successerunt, sed XVI Mogontiaco Novesium, XXI Veteribus Vindonissam translatae sunt. Et hoc quidem quod quo anno, quam ob causam factum sit, nondum cognoscere possumus, haud scio an omnium rerum, quae in historia legionum Germanicarum primi saeculi adhuc incertae sunt, maxime dolendum sit.

1) Tacit. Annal. I, 37.

2) tetendit una cum legione VII Galbiana (Hist. II, 86) quam iam ante, quam Othoni subveniretur, in Pannonia fuisse sequitur ex Hist. II, 67: „undecuma ac septima suis hibernis redditae"; neque dubitandum, quin a Galba haec legio, quae in Hispania conscripta eum Romam secuta erat („inducta legione Hispana" Hist. I, 6) a. 68 in Pannoniam missa sit (cf. Pf. p. 49). Idem fere valet de legione XIIII, quae a Nerone expeditionis orientalis causa excita a Galba in Delmatia collocata erat (Hist. II, 11).

num, quae, si quidem in Italiam erant avocatae,[1]) brevi rediturae erant, aliam legionem successisse, Nero illo tempore exercitus Germanici, si aut legionem aliquam inde detrahere volebat, aut aliud quid mutari iubebat, non iam habuit potestatem: nam, antequam Julius Vindex, qui seditionem per Galliarum gentes pagosque moverat, acie superaretur, Verginius Rufus, qui tum Germaniam superiorem obtinebat, principi, ne ei quidem, qui summa auctoritate floreret, si provinciae exercitum deminui iussisset, obsequi debuit; postea autem Verginius Neronem repudians,[2]) quamquam Galbam non agnovit imperatorem, senatus populique Romani legatum se esse pronunciavit, atque hic quae imperaret, se facturum esse pollicitus est. Deinde omnes legiones, a cuius quaeque parte in horum annorum rebus turbidissimis staret, nulla alia re movebantur, quam sueto armorum consortio et longinqua stativorum societate, quibus quaeque cum quoque exercitu quasi coaluerat,[3]) neque tam imperatores, Vitellius cum Othone, cum Vitellio Vespasianus, uter regnaturus esset, concertabant, quam exercitus, num Germanici robur potius esset Illyrico et Syriaci vis maior Germanica, decernebant: itaque legio XIII, si Pfitzneri sententia recta est, annis 821/68 et 822/69 vinculorum contubernii periculorumque, quibus cum exercitu Germanico per sexaginta annos conexa erat, non potuit esse immemor, neque debuit partium exercitus Illyrici, in quo ut versabatur, vix decem menses intercesserant, studiosa esse: sed erat harum studiosa: hoc fieri non potuit, nisi milites, qui cum legione ex Germania translati erant, non iam militabant et societatis Germanicae memoria iam obsoleta reddita praesentia consortioque Pannonico superabatur. Denique si monumenta, quae legio in utraque provincia reliquit, accurate perlustraverimus, id, quod Pfitznerus posuit, comprobari non posse, luce

---

1) hoc certum esset, si constaret loco Tacit. Hist. I, 9, „quamquam excitae a Nerone legiones (Illyricae), dum in Italia cunctatur, Verginium legationibus adissent", legendum esse cum Classeno Symbol. I, 22, „cunctantur", quod mihi quidem probabile est.

2) Dio LXIII, 25, 2 et 3, Plut. Galba c. 6. — Dio LXIII, 27, 1: Nero certior factus est περὶ τοῦ Ῥούφου ὅτι αὐτοῦ ἀπέστη.

3) Quam arte haec vincula legiones etiam in alias provincias degressas cum exercitu, in quo fuerant antea, coniunxerint, docet nos legio III Gallica, quam, cum „sub exitu Neronis (scil. a. 67) translata ex Syria in Moesiam fuisset" (Suet. Vesp. c. 6), Mucianus, praeses Syriae, a. 69, „suam numerabat" (Tacit. Hist. II, 74); quomodo huic Muciani spei satisfecerit legio, elucet ex Tacit. Hist. II, 85 et Suet. l. l.

clarius apparebit.[1]) Primum enim in Germania legionis XIII monumenta ne secundam quidem Augustam, quae a Claudio a. 797/43 in Britanniam summota est, numero aequant;[2]) et tegulae, quae sub Claudio in Germaniis legionum signis designari coeptae sunt, legionis XIII in Germania prorsus non exstant.[3]) Deinde in Pannonia Poetovione, ubi a. 822/69 legionis castra fuerunt (Tacit. Hist. III 1), praeter alia monumenta repertus est titulus M. Fabii Fabulli,[4]) legati legionis XIII gem. III 4118: hunc hominem, qui cum a. 822/69 legatus legionis V Alaudae in exercitu Vitelliano magna auctoritate floreret atque milites sibi confidentes haberet, iam per aliquantum temporis in Germania versatus esse videtur, legioni XIII prius quam legioni V praefuisse, sequitur cum ex eo, quod legatio legionis V in titulo non memoratur, tum ex eo quod, qui inter praecipuos Vitellii duces fuerat, non potuit a Vespasiano eiusmodi officio ornari. Itaque titulus ille III 4118 aliquanto ante a. 822/69 positus est. Praeterea tegulae legionis non ita rarae reperiuntur Poetovione, quas cum Vespasianus his castris omissis legiones ad ipsam Danuvii ripam promoverit et Vindobonae Carnuntique collocaverit, temporis ante

1) praeterea Pannonia, si legio XIII g. a. 68 demum hanc in provinciam venit, inde ab anno 63 quo legio XV Apoll. in Syriam profecta est (Tacit. Ann. XV, 25), plane nudata fuisset legionibus; nam quod Pfitznerus putat a. 63 legionem VII Cl. ex Delmatia in Pan. translatam esse, falsum videtur, quia, quantum nobis licet cognoscere, legio VII Cl. ex Delmatia in Moesiam missa est, nescio quo anno (C. J. L. III p. 482), ubi etiam a. 68 erat. Legio quoque XV prim. in Pannonia non fuit, ut putat Pf., cf. supra p. 83 adn. 1.

2) sunt Zahlbach Bramb. 1171, in Helvetiis J. Helv. 267, Zür. Mitth. XV p. 212 n. 37 et tab. VIII, n. 2, huc non pertinent tituli Bramb. 1017 (saec. tert.); tituli Bramb. 1260, 1261, 1267, 1278, in quibus numerus mutilatus est, omnes videntur esse legionis XIIII Mogontiacensis.

3) tegulas Bramb. 707a, 1377d, 1, 2, 3, cum solo Fuchsio, teste infirmo et dubio, nitantur, per se suspectas vel male lectas esse constat; praeterea certissimum est, legionem XIII g. cognominibus p. f. ornatam nusquam fere occurrere praeter n. 21, Eph. ep. V p. 621, n. 1454; n. 109 et IX 1609 falso suppleti sunt, cf. nostr. indic. II, V.

4) Φάβιος Φάβουλος (Plut. Galb. c. 27), qui trunco Galbae illusisse dicitur, non idem est ac legatus legionis, qui tum Romae versari non potuit; immo ille videtur homo sordidissimus humillimusque fuisse, fortasse miles gregarius. — cetera monumenta Pannonica sunt: III 4058, 4061, Eph. II p. 418 n. 853, tegulae III 4660, 1. a, b. — Quod miles III 4061 cognomine adhuc caret, id quod tempus Nerone superius significare videtur, non magni aestimandum est, quandoquidem hunc cognominum usum per bis vel ter decem annos fluctuasse consentaneum est.

Vespasianum esse necesse est: duobus vero annis, quorum per maximam partem legio in expeditiones profecta aberat, tegulas attribuere non licet. Quae omnia computantibus nobis elucet, vix posse negari, legionem XIII ex Germania in Pannoniam non anno demum 821/68 translatam esse; itaque quaerendum est, quo fere tempore hoc factum esse videatur.

II. Qua de re etsi iudicium certum ferre nondum licet, tamen periclitandum, si quid, quod probabilitate non plane careat, coniecturae quidem loco proponi possit.[1]) — Castra Vindonissensia Germaniae superioris a tribus deinceps legionibus, XIII gemina sub Juliis,[2]) XXI rapace sub Claudiis, XI Claudia sub Flaviis occupata sunt: in quibus cum singulae semper legiones, alia aliam excipiens numquam duae coniunctae tendere solerent,[3]) legionem XIII gem. eo tempore, quo XXI rapax Vindonissae stativa habebat, provincia et castris iam egressam fuisse sequitur. Quam ob rem, si revera in titulo J. Helv. 248, quo legionem aliquam opus publicum, fortasse ipsa castrorum munimenta, exstruxisse praedicatur, posito a. 803/50 vel 804/51[4]) legionis XXI numerus exsculptus est, legio XIII gem.

---

1) legionem XIII e Germania in Pannoniam translatam esse sub Claudio putant Grotef. Pauly IV p. 892, Hartung Röm. Auxiliartr. p. 27 a. 820/67, Momms. C. J. L. III p. 482 sub Nerone in locum legionis VIII, Düntzer B. Jahrbb. LXXIII 1882 p. 47 a. 816/63; Borgh. oeuvr. IV p. 234 censet, eam a Nerone excitam expeditionis orientalis causa in Pannonia collocatam esse, cui assentiri videtur Bramb. praef. p. X.

2) hoc certum est: nam si legio hiberna habuisset Mogontiaci monumenta satis multa superessent in oppido titulis sepulcralibus abundante; praeterea Mogontiaci iam erant duae legiones, quibus plures numquam coniunctas fuisse constat legg. XIIII et XVI; ad Argentoratum consistebat legio II (B. Jahrbb. LXVI 1879 p. 70 sq. Korresp. der W. Z. III 1884 p. 131 Bramb. 1892) non Mogontiaci, ut putat Grotef. Pauly IV p. 873 [miles Bramb. 946 in expeditione fortasse mortuus est]. Legioni igitur XIII restant sola castra Vindonissensia, ubi eam fuisse confirmatur titulis J. Helv. 267, Zür. Mitth. XV p. 212 n. 37 miles Zahlbach sepultus (Bramb. 1171) erat ex numero speculatorum, qui ad multa munera imprimis a praeside provinciae, qui Mogontiaci sedem habebat, adhibebantur. — De legionibus XXI et XI Vindonissae tendentibus cf. Meyer: Gesch. der XI. u. XXI. Legion et supra p. 74 adn. 1 et p. 71 adn. 2.

3) Bergk, Zur Gesch. u. Topogr. p. 87: „während in Vindonissa niemals mehr als eine Legion gestanden hat."

4) annus efficitur ex fragmento non eiusdem quidem tituli, sed fortasse exempli [ad portas praetorias duo tituli exstare solebant, a quo principe, per quem legatum, per quam legionem castra munita vel restituta essent indicantes cf. Arch. ep. Mitth. V p. 209 n. 1 Carnunti] Zür. Mitth. XV p. 211 n. 29 trac-

iam ante hunc annum e Germania abducta in Pannoniam translata sit necesse est.

Et hoc quidem neque quidquam habet, quo si res, quae tum in Germaniis erant, militares consideremus, offendamur et si in aliorum quoque exercituum casus mutationesque inquisiverimus, fortasse proximum vero esse videbitur; etiam cur et quo anno fere legio in Pannonia collocata sit, elucebit. Nam cum in titulo II 3272 tres legiones, quarum vexillationibus praefuit Valerianus, significatae esse videantur[1]) eae quae tum exercitum Moesiacum efficiebant,[2]) [scilicet legiones V Maced. et VIII Aug., tertia cum propter alias causas tum ob ordinem numerorum in huiusmodi titulis diligentissime servatum non potest fuisse alia, quam legio IIII Scythica,][3]) apparet legionem VIII iam

---

tato a Beckero B. Jahrbb. XXIX 1860 p. 146—148 et Bergk: Zur Gesch. u. Topogr. p. 70—71.

1) hoc recte mihi videtur statuisse Momms. in adnot. ad t. l. contra Grotef. B. Jahrbb. XXXII 1862 p. 45 et Pf. p. 33.

2) Semper Thracia, si armis et legionibus opus erat a Moesiae praeside et exercitu adiuta est (Tacit. Annal. II 66 sq. III 39, IV 46—51); etiam in provinciae formam redactae procuratori legatus Moesiae praepositus erat usque ad Traianum cf. Marquardt R. St. I² p. 314 adn. 3. Numeros in titulo memoratos ad seditionem a. 799/46 sqq. pertinere, probabiliter coniecit Mommsen Eph. ep. II p. 259 adn. 2.

3) hanc legionem plerique viri docti (Pf. p. 31 et 34; Grotef. B. Jahrbb. XI 1847 p. 82—85, Momms. R. g. d. A² p. 68 adn. 2 alii) censent ex Moesia, ubi erat sub Tiberio (III 1698) et sub Claudio (Wilm. 1138), ab hoc translatam esse in Germaniam, unde a. 55 in Syriam missam esse eam tradat Tacit. Ann. XIII 35: „adiectaque ex Germania legio" e. q. s. Sed id ipsum, quod alii viri docti aliam legionem Taciti loco significatam esse coniecerunt [omnes sententias enarrare non huius loci est], ostendit, quantopere omnia, quae de legionum distributione scimus certo, hoc loco confusa sint. Et quamquam neque titulo Wilm. 1138 dilucide demonstratur, legionem IIII etiam post expeditionem Britannicam in Moesia fuisse [nam Martius Macer, homo praetorius non post Moesiam a Macedoniae et Achaiae legati potestate a. 44 liberatam, sed antea sub P. Memmio Regulo provinciam rexisse videtur], neque titulo Wilm. 1145 efficitur, legionem IIII a. 55 e Moesia in Syriam missam esse, ut putarunt Borgh. oeuvr. IV p. 231 et Wilm. adn. ad tit. [nam illis verbis „quamvis magna parte exercitus in Armeniam misisset" significari legionem V Maced. a. 62 in Armeniam abductam mihi quidem probavit Henzenus Annali dell' instit. 1859 p. 17—20, cf. Momms. C. J. L. III p. 1010 ad 781], tamen equidem persuasum habeo, Taciti uerba foedissime corrupta et, cum de restitutione certa desperandum sit, plane neglegenda esse; nam quae viri doctissimi hoc solo nixi loco concluserunt accidisse, in tota legionum historia sunt singularia atque cum rebus, quae aliunde constant, omnibus clare pugnant; fusius de causis hic exponere

in Moesia fuisse, antequam IIII Scythica inde abscederet, h. e. ante a. 808/55 vel 809/56. Causa autem, cur exercitus Moesiacus, qui antea duarum legionum fuerat, tertia augeretur, plenissima atque copiosissima oblata est bellis, quae post Thraciae regnum a. 799/46 in provinciae formam redactum (Marquardt R. St. I² p. 313) indigenae moverant; quibus nondum perdomitis accessit bellum Bosphoranum contra Mithridatem gerendum (Tacit. Annal. XII, 15 sq. 21, 63), quae omnia eodem tempore Moesiae legatum et exercitum vexabant premebantque.

Quae si recte disputata sunt, legione VIII Augusta a. fere 799/46 degressa, Pannonia, quae usque ad a. 796/43 tribus legionibus occupata fuerat (VIII, VIIII, XV), unam tantum habebat (XV); quae quod muneri, quod ei obvenerat, provinciae praesidio, ob tanta terrarum spatia impar erat,[1]) e Germania legio XIII gem. arcessita castra, in quibus legio VIII Aug. fuerat, occupavit, scilicet Poetovionensia.[2]) Arridet quoque huic sententiae quod omnes hae res gestae et legionum mutationes, quae non fuerunt adeo leves neque tantulae, ut eas scriptor diligens atque rerum peritus omittere posset, apud Tacitum non iam exstant, nimirum quia in librorum parte, quae perdita est, tractatae erant.

---

longum est, cf. Düntzer B. Jahrbb. LXXIII p. 46; rectissime iudicat Klein apud Henzen Annali 1859 p. 17 adn. 2: „aggiunge (Klein) che al parer suo in quell' epoca le guarnigioni renane non vennero punto cambiato e dover emendarsi la lezione di Tacito."

1) Pfitznerus, qui p. 32 putat ex Tacito Annal. XII, 29 elucere a. 803/50 unam tantum legionem Pannoniae praesedisse, scil. XV, non habet rationem usus dicendi quem sequitur Tacitus: vertendum esse „mit einer Legion" recte Nipperdeius adnotat; idem valet de Annal. IV, 47, ubi Pfitznerus ipse Moesiam tunc una tantum legione occupatam fuisse contendere ausus non est.

2) monumenta legionis VIII sunt III 3845, 4060, 4858, 5220; tituli Delmatici III 2865, 3051, 6364 sunt temporis Augustei. — Legionem VIII sub Nerone castra mutavisse putant Grotef. Pauly. IV p. 887, Momms. C. J. L. p. 482; Borghesi oeuvr. IV p. 223 censet eam ad expeditionem in Albanos suscipiendam excitam esse. — Pf. p. 32, 154 recte putat legionem iam a. 47 in Moesia collocatam esse; sed quod censet eam legioni IIII Scyth. successisse, quae eo anno e Moesia in Germaniam translata esset, repudiandum est: nam si Germaniis legione opus erat, non ex Moesia mitti debuit legio, quae et ipsa legione e Pannonia accita compensanda erat, sed recta via e Pannonia, praesertim cum legiones Germanicae a Pannonicis et minore terrarum intervallo disiungerentur, et propter similitudinem dilectus minus abhorrerent alterae ab alteris, quam Germanicae a Moesiacis, quae eundem atque orientales legiones habebant (cf. Momms. Herm. XIX p. 7 et 8) dilectum.

Sed etiamsi haec omnia, quae titulo II 3272 freti disputavimus, improbes, tamen concedes legionem XIII gem. certe Neronis initiis e Germania abductam stativa mutavisse. Nam legionem VIII Aug. iam ante a. 808/55 in Moesia fuisse etiam alio modo enucleari potest: primum enim legio, quia eam per aliquantum temporis una cum V Maced., quae a. 815/62 in Armeniam abducta est, (Tacit. Annal. XV 6), in Moesia castra habuisse ex titulo II 3272 efficitur, si non antea, certe legioni IIII Scyth. successura in Moesiam translata sit necesse est; deinde eo tempore, quo Plautius Silvanus Aelianus „magnam partem exercitus in Armeniam misit",[1]) sive a. 55 sive a. 62, tres legiones in Moesia erant, quandoquidem una legio degressa significatur „magna pars exercitus", non „dimidia pars"; hae fuerunt a. 55 legiones IIII, V, VIII, a. 62: V, VII, VIII: itaque cum verisimillimum sit legionem VIII prius quam legionem VII in Moesia fuisse, haec necesse est successerit legioni IIII a. 55: quamobrem legio VIII iam ante hunc annum in ea provincia consistebat.

Legionem igitur XIII, quae certo legionem VIII castris excepit, ante annum 55 in Pannoniam venisse censemus. Itaque Germania superior legione XIII degressa a tribus tantum occupabatur: IIII Mac. et XXII Mogontiacensibus, et XXI Rap. Vindonissensi. Quin etiam licet contendere illo tempore quattuor legiones ne potuisse quidem in Germania esse, quia castra, quae erant, tres tantum continebant: Argentoratensia enim post legionem II a. 43 abductam vacua relicta neque, cum sub Claudio castra Rhenana munimentis firmarentur atque restituerentur, munita esse, demonstratur cum eo, quod ibi tegulae legionum illius aetatis plane desiderantur,[1]) tum eo quod a. 69 maiora castra sola exstant Mogontiacensia et Vindonissensia, Argentoratensia autem ne commemorantur quidem (Hist. IV 61). — Itaque tres legiones in Germania superiore tetendisse ut a. 69,[2]) ita iam sub Claudio, fortasse inde ab a. 47, iudico.[3])

---

1) ad Argentoratum non exstant nisi tegulae legionis VIII Augustae, quae postea demum in Germaniam venit; unica adhuc tegula reperta est legionis IIII Maced. (Bramb. 1894a), quae sola nihil probare potest.

2) quomodo Düntzer B. Jahrbb. LXXII p. 47, num hoc rectum sit, dubitare possit, non intellego: nam ex Taciti narratione clarissime elucet, tum tres legiones in superiore provincia fuisse; et hoc testimonium certissimum praeterea confirmatur titulo Wilm. 1429, qui a vexillariis exercitus G. sup. a. 69 positus est.

3) quae res testimonium Josephi, qui octo legiones Germaniis attribuit, aut falsum esse aut ad hanc aetatem non pertinere docet, cf. supra p. 31 sqq.

Legiones Moesiacae — inde ab Augusto ad. a. 821/68 — Legiones Pannonicae.

Pfitznerus		Sentent. nostr.		Pfitznerus		Sentent. nostr.	
ab. Augusto ad. a. 47	legg. IIII Sc. V Mac.	ab. Aug. ad. a. 46	legg. IIII Sc. V Mac.	ab. Aug. ad. a. 20	legg. VIII, VIIII, XV Ap.	ab. Aug. ad. a. 20	legg. VIII, VIIII, XV Ap.
ab. a. 47. ad. a. 62	„ V Mac. VIII Aug.	ab. a. 46 ad. a. 55	„ IIII Sc. V Mac. VIII Aug.	ab. a. 20 ad. a. 47	„ VIII, XV Ap.	ab. a. 20 ad. a. 24	„ VIII, XV Ap.
ab. a. 62 ad. a. 68 in.	leg. VIII Aug.	ab. a. 55 ad. a. 62	„ V Mac. VII Cl. VIII Aug.	ab. a. 47 ad. a. 63	leg. XV Ap.	ab. a. 24 ad. a. 43	„ VIII, VIIII, XV Ap.
a. 68 priore parte.	„ III Gal.	ab. a. 62 ad. a. 67	„ VII Cl. VIII Aug.	ab. a. 63 ad. a. 66	„ VII Cl.	ab. a. 43 ad. a. 46	„ VIII, XV Ap.
ab. a. 68 mense Julioad. a. 69 m Julio	legg. III Gal. VII Cl. VIII Aug.	ab. a. 67 ad. a. 69	„ III Gal. VII Cl. VIII Aug.	ab. a. 66 ad. a. 68	legg. VII Cl. XV pr.	ab. a. 46 ad. a. 63	„ XIII, XV Ap.
				a. 68. in.	leg. XIII.	ab. a. 63 ad. ad. 68. in	leg. XIII.
				a. 68. medio ad. decembrem	legg. XIII, XV pr. VII Gal.	ab. a. 68 in. ad. a. 69	legg. VIII, VII Galb.

Indices legatorum, tribunorum, centurionum militum et tituli legionis X gem.

A., LEGATORUM	n. 1—9.
B., TRIBUNORUM	n. 10—35.
C., AETATIS HISPANICAE	n. 36—43.
D., AETATIS GERMANICAE	n. 44—63.
E., AETATIS PANNONICAE	n. 64—120.
F., FALSI	n. 1*—17*.

A. Legati legionis

$\overline{\text{X}}$. GEMINAE.

I.* C. Atilius L. Cuspius Julianus Rufinus n. 1
cum Traiani temporibus nulla legio gemina nisi X cognomine „piae fidelis“ gauderet (de legione XIII cf. indic. II, v, de VII gem. Boissev. p. 36—39, XIIII numquam cognomine usa est), Atilius legatus legionis X gem. fuit; si quidem omnino recte supplevit Momms: geM; eodem enim iure potest suppleri „priM“, cuius et ipsius cognomine p. f. ornatae numerus (XXII) magis convenit lineolae, quae supra posita erat, longitudini quam X. Itaque in medio relinquendum. — De viro einsque cursu honorum nonnulla memorabilia praebente cf. disputantem Mommsenum in adn.

II. Q. Lollius Urbicus n. 2. —
Legatus legionis fuit ante ipsum bellum Judaicum Hadriani (cf. supra p. 59); a. 136 vel 137 regebat provinciam Germaniam infer. (Roulez: Mém. de l'académ. de Bruxell. XLI p. 37) inde ab a. 140 Britanniam, ubi vallum, quod dicitur Pii, muniendum curavit (C. J. L. VII n. 1041. 1125. Hübner Rh. Mus. XII p. 60 C. J. L. VII p. 192; Jul. Capit. v. Pii c. 5 § 4); postea fuit praefectus urbi (C. J. L. VI 28, VIII 6705) cf. Borghesi Oeuvr. V p. 419, Teuffel Röm. Litt. [4] § 381. n. 7.

III. T. Aelius Aurelius Epianus. n. 3
fuit fortasse sub Pio vel Marco cf. Henzen bullet. dell' inst. 1867 p. 201.

IV. P. Julius Geminius Marcianus n. 4.
Legatus fuisse videtur a. 161, brevi ante initium belli Parthici (cf. supra p. 59). Quo perfecto Arabiae praepositus est, quam regebat etiam post L. Verum a. 169 mortuum, quia C. J. L. III 96 appellatur legatus Aug. (non Augg); itaque a. 170 consulatum gessit. Postea Asiam provinciam proconsularem sortitus est, quam rexit a. 186 (Waddington fastes des prov. asiat. n. 158 p. 241-243) cf. L. Renier

Rev. archéol. X 1. 1853 p. 539-553, Waddington ad n. 1945, Momms. ad C. J. L. III 96, Napp: de reb. sub imp. M. Aur. Ant. in Oriente gestis p. 70-72.

V. Jgnotus n. 5.

— AVGG pertinere videtur ad divos fratres vel ad Marcum et Commodum; potius quam ad Severum et Caracallam.

VI. C. Luxilius Sabinus Egnatius Proculus n. 6.

— legatus fuit sub Gordiano III a. 238-244.

VII et VIII. L. Domitius Aurelianus et M. Aurelius Probus

— cf. Flav. Vop. v. Prob. c. 6. § 5 „quid Aureliani iudicium? qui Probo decimanos, fortissimos exercitus sui et cum quibus ipse ingentia gesserat, tradidit sub huius modi testimonio: Aurelianus Augustus Probo salutem dicit. Ut scias, quanti te faciam, decimanos meos sume, quos Claudius mihi credidit; isti enim sunt, qui quadam felicitatis praerogativa praesules nisi futuros principes habere non norunt".

IX. P. Claudius Pallas Honoratus Repentinus n. 7

— temporis incerti.

X. Jgnotus n. 8 — temporis incerti.

XI. Jgnotus n. 9 — temporis incerti.

B. Tribuni legionis

X. geminae.

I. L. Blatius n. 10; sub Augusto ante a. 738/16 (cf. pg. 9).

II. L. Arrius Salanus n. 11; sub Augusto.

III. T. Pomponius Petra n. 12; sub Augusto. hic est fortasse praefectus, de quo ala Petriana nomen traxit.

IV. C. Pontius Paelignus n. 13; sub Augusto vel Tiberio.

V. Q. Fabius Blandus n. 14; ante Claudium.

VI.* Sp. Turranius Proculus Gellianus n. 14a; sub Claudio.

VII. Q. Atatinus Modestus n. 15; ante Vespasianum, fortasse sub Claudio.

VIII. L. Baebius Avitus n. 16; sub Vespasiano.

IX.* P. Metilius Secundus n. 17; sub Traiano; cum numerus legionis apud Fabrett. non exstet, VII Orellius de suo adiecisse videtur. Homo est notissimus ille Hadriani legatus leg. III. Aug. in Africa, sub quo via Karthagine Thevestem strata est (cf. Fiegel Hist. leg. III. Aug. p. 34).

X. P. Prifernius Paetus Memmius Apollinaris n. 18; sub Traiano.

XI. P. Besius Betvinianus C. Marius Memmius Sabinus n. 19; sub Traiano.

XII. Sex. Attius Senecio n. 20; sub Hadriano.

XIII. M. Statius Priscus Licinius Italicus n. 21; sub Pio ineunte. De hoc viro notissimo duce in bello Parthico L. Veri cf. Napp de reb. sub M. Ant. in Or. gest. p. 55—56 et Momms. adnot. ad. titul. l., Borghesi: oeuvr. III p. 249.

XIV. M. Ulpius Puteolanus L. Tusidius Campestris n. 22; filius vel pater fuisse videtur M. Maenii Agrippae L. Tusidii Campestris (Orelli 804) sub Hadriano et Pio.

XV. t. fl. Quirinalis Maximus n. 23; sub Severo.

XVI. . . . . . **Tiberianicus** n. 24; a. 249.

XVII. T. Petronius Taurus Volusianus n. 25; qui consul fuit a. 261.

Temporis incerti sunt

XVIII. Ti. Attius Julianus n. 26.

XIX.* Fabius Fabianus n. 26.

XX. T. Flavius Agricola n. 27.

XXI.* Quintus Gargilius Macer Acidinus n. 28.

XXII. C. Pladicius Casdianus n. 29.

XXIII. Titiedius Flaccus n. 30.

XXIV. L. Varius Quintianus n. 31.

XXV. Ignotus n. 32.

XXVI. Ignotus n. 33.

[**XXVII. L. Tapurius** n. 34; spurius videtur.]

PRAEFECTUS LEGIONIS.

M. Coccejus Severus n. 113 ante Hadrianum.

CENTURIONES.

a. Primipili.

T. Desticius Severus n. 115; sub Hadriano.

L. Fullonius Severus n. 119.

* **Sabidius** C. J. L. IX. 4122.

Ignotus n. 120.

UofM

b. Princeps praetorii.

. . . . . **Lupianus** n. 90.

c. Hastatus.

Silius Hospes n. 109a; sub Severo.

d. Reliqui.

1. In Hispania.

T. Cassius Flavinus n. 38.
Fabius Celtiberus n. 36.
Julius Ing[enuus] n. 43.
Sauffeius Silo n. 41.
Seranus n. 40.

2. In Germania.

Cominius Celsus n. 47.
Sex. Donnius Vindex n. 51.
Q. Manlius Priscus n. 54.
C. Nigidius Aponinus n. 52.
C. Offius Marcellus n. 59.
M. Vibius Martialis n. 55.

3. In Pannonia et temp. inc.

Ailius Saturninus n. 87.
Q. Annius Clarus n. 116.
L. Antonius Felix n. 110.
M. Appianus Vrsulus n. 85.
T. Claudius Ulpianus n. 111.
Julius Crescens n. 88.
C. Julius Lepidus n. 109.
C. Mettius Verecundus n. 114.
C. Octavius Honoratus n. 118.
Petronius n. 117.
Secundius Restutus n. 80.
Sempronius Stella n. 112.
Seneca n. 69.
L. Vitellius Maternus n. 112.
Ulpius Valerianus n. 89.

MILITES ET VETERANI.

1. Aetatis Hispanicae.

C. Julius Victor n. 36.
P. Cincius Rufus n. 42.
L. Rutius Sabinus n. 40.
M. Volumnius n. 37.
C. Urbanius Firminus n. 43.
Ignotus n. 39.

2. Aetatis Germanicae.

M. Aurelius Festus n. 48.
Aurelius Flavos n. 48.
Q. Bisius Secundus n. 47.
L. Cassius Clemens n. 46.
M. Hellius Secundus n. 53; tubicen.
C. Julius Pudens n. 44.
C. Januarius n. 45; veteranus.
A. Julius Saturninus n. 62; signif.
C. Maecius Ingenuus n. 61; eques
L. Valerius Marinus n. 49.
C. Valerius Placidus n. 63.
Ignotus n. 50.

3. Aetatis Pannonicae.

M. Aebutius Victorinus n. 108.
Aelius Avitus n. 66.
Aelius Justus n. 66.
Aelius Nigrianus n. 66.
P. Aelius Romanus n. 84; vet. ex act.
Aelius Ursulus n. 66.
P. Aelius M . . . . n. 102.

Atilius Severus n. 71; ve.
Attius Maximus n. 67.
C. Attius Romulus n. 67a; ex. cust. arm.
M. Aurelius Romanus n. 83.
Aurel. Secundianus qui et Itrius n. 75; bf. cos.
Aurelius V[a]le . . . . n. 70.
C. Baebius Marcellinus n. 74; bf. cos.
Cartinius Gratus n. 99; frum.
Q. Cerfonius Celer n. 87.
Ti. Claudius Tertius n. 93; bf. cos.
Ti. Claudius Valentinus n. 24; cornic.
M. Cocceius Superianus n. 82; s(ignif.?).
Cocceius . . . . **nus** n. 82; signif..
C. Comargus n. 97; bf. cos.
Cornelius Florinus n. 98; frum.
Cornelius Secundus n. 66.
Faonius Paternus n. 107; evocat.
C. Julius Dignus n. 79; bf. cos.
C. Julius Dolens n. 96; vet. ex. bf. cos.
Julius Impetratus n. 76.; bf. cos.
Julius Optatus n. 105; vet.
C. Julius Probus n. 91.
C. Julius Saturninus n. 95; bf. cos.
Julius Terentius n. 73; bf. cos.
C. Julius Rixula n. 104; vet.
Kalandinius n. 92.
C. Maccenius Vibius n. 106.
Mogetius Paulinus n. 66.
Salvinius Valentinus n. 101; optio.
M. Sejus Ma . . . . n. 113.
L. Sep. Celsinus n. 68; vet.
Septimius Vales n. 101; candidatus.
L. Titulenius Respectus n. 94; vet. bf. cos.
L. Valerius Faventinus n. 77; bf. cos.
P. Valerius Marcianns n. 81; dupl.
Valerius Victorinus n. 86; optio.
Ulpius Augurinus n. 65.
Ulpius Valentinus n. 64; vete.
Urbicius Firmus n. 66.
Ignotus n. 100; frum.
Ignotus n. 69.
Ignotus n. 78; bf. cos.
Ignoti n. 24; beneficiarii.

Qui in III 4452 sint milites legionis X diiudicari non potest.

A. TITULI LEGATORUM.

n. 1.

X. 8291. **ANTII.**

C · ATILIO · CN · F . / *n* || *l. cuspi*O · IVLIANO · CL · R*ufi*NO || COS · II · PROCOS · PROVINC · AFR*ic*AE || LEG · AVG · PR · P*r* · *prouin*CIAE · SYRIAE · ET . PRO || VINCIAE · CAPPAD*ociae* · ET · ARMENIAE · MAIOR || ET · MINOR · VIIVIR · EPV*lon* · *d*ONIS · MILITARIBVS || DONATO · A DIVO · TRA*iano* CORONA · MVR*ali* || VALLARI · NAVALI · H*astis puris iiii uexill*IS · IIII · PR · VRB || PRAEF · AERARII · SAT*urni praef. aerar. m*ILITAR · LEG || *leg.* /// *ge*M · P · F · CV*r viar.* ////// IAE · PRAEF || *frumenti* DANDI · E*x. s. c. seuiro eq. rom. turm*AE · II || *trib. pl. qua*EST*ori patris (?) in procos* ASIAE

n. 2.

VIII 6706.
= Wilm. 1176.
= Henzen 6500. **NUMIDIA; TIDDIS.**

Q · LOLLIO · M · FIL || QVIR · VRBICO · COS || LEG · AVG · PROVINC · GERM · INFERIORIS · FETIALI · LEGATO || IMP · HADRIANI · IN · EXPEDITION || IVDAICA · QVA · DONATVS · EST || HASTA · PVRA · CORONA · AVREA · LEG || LEG · X · GEMINAE · PRAET · CANDIDAT || CAES · TRIB · PLEB · CANDIDAT · CAES · LEG || PROCOS · ASIAE · QVAEST · VRBIS · TRIB || LATICLAVIO · LEG · XXII · PRIMIGENIAE || IIIIVIRO · VIARVM · CVRANDI

PATRONO

D · D P · P

n. 3.

Bullet. della comm. arch. comm. di Roma Serie II ann. XII 1884 p. 45 n. 771.

ROMAE.

T · AELIO AVRELIO · I ////// || EPIANO · LEGAVG || *l*EG · X · GE*m (inae)* //// || *u*IAE CLO*diae* || ////////////// PROVM

n. 4.

VIII 7050. **CIRTAE.**

*p. i*VLIO · P · FIL · QVIR || *ge*MINIO · MARCIANO || *cos.* SODALI · TITIO · PROCOS · PROVIN || *cia*E · MACEDONIAE · LEG · AVGG · PRO PR || *pro*VINCIAE · ARABIAE · LEG · AVGG · SV || *per*VEXILLATIONES · IN · CAPPA || *do*CIA · LEG · AVG · LEG · X · GEMINAE || *leg.* PRO · PR · PROVINC · AFRICAE || *pr*AETORI · TRIB · PLEB · QVAESTORI || *tri*BVNO · LATICLAVIO · LEG · X || *fr*ETENSIS · ET · LEG · IIII · SCY || *th*ICAE · III · VIRO · KAPITALI || *op*TIMO · CONSTANTISSIMO || ..*d*VRMIVS · FELIX · PRIMI || *pi*LARIS · LEG · III · CYRENEICAE || *st*RATOR · IN · ARABIA · MAIORIS || *te*MPORIS · LEGATIONIS · EIVS || *h*ON · CAVSA · D · D ·

n. 5.

X 3761. **SUESSULAE.**

.....PROCO*s* ///// || ///// C · LEG · AVGG /////// || ///// R · CVRAT · ALVEI *tiberis* || *proc*OS · CYPRI · LEG · AV*gg* ////// || -EG · X · GEMIN || *cur. uiae tibu*PTINAE · PRAE*t* || ///// *c*VRIONI QV*aestori*

N 361

n. 6.

Orelli 3148 = Gruter 483,1 = Wilm. 1215. **UMBR. PISAURI.**

C. LVXILIO C. F. POMPT || SABINO EGNATIO || PROCVLO C. V. CVR. RER || PVBLICAR. PISAVR. ET FANEST. LEG. LEG. X GEM. GORDIAN || IVR. REG. TRANSPAD. CVR || VIAR. ET PRAEF. ALIMENT. CLODIAE ET COHERENT || LEG. PROV. ACHAIAE. PRAET || AEDILI CERIALI. QVAEST || PR. PR. PROV. CRETAE. CYR || TRIB. LATIC. LEG. IIII. FLAV. PATRONO COLONIARVM. PISAVR. ET FANEST.

n. 7.

III 4567. **PANN. SUP. VINDOBONAE.**

P · CLAVDIO · PALLANTI || HONORAT · REPENTINO || ADLECTO || INTER TRIBVNICIOS || LEG · PR · PR . PROVINCIAE || AFRICAE · PRAETORI || LEG · PR · PR · PROVINCIAE || ASIAE · LEG · AVG · LEG · X · G || C · IVL · MAGNVS · DEC · COL || KARN · EQVO · PVBLICO || EX · V . DECVR || DIGNISSIMO || L · D · D · D

n. 8.

VI 1545. **ROMAE.**

..... *cos. u*II · VIR · EPVL · CVRAT*or* || *put*EOLANOR · EXCV *squit se?* || *cu*RATOR · NEAPOLITAN*or* || *c*VRATOREM · ALVEI · TIBERIS || *et* CLOACAR · VRBIS · LEG · PR P*r* || *pro*VINCIAE . DALMAT*iae* || ...*pon*T · PRAEF · AER · S*aturni* || *legat. le*G · X · GEM ·

n. 9.

X 8292. **ANTII.**

..... *le*G · LEG · X · GEMIN*ae pr*AETOR*i* || *candida*T · TRIB · PLEBI · CA*ndi*DAT || *quaestori c*ANDIDAT · TRIB · *la*TICL || *leg.* || *f*LAVIAE · X · VIRO || *stl*ITIBVS · IVDICANI*dis* || // // /// *pr*OCILLA · C · F · M*arito* || *inc*OMPAR A*bili* || L D *d d*

B. TITULI TRIBUNORUM.

n. 10.

II 1176. **BAETICA: HISPALI.**

L · BLATIO · L · F · SER · VENTIN || TRIB · MIL · LEG · V · ET · X · GEM || AED · II · VIR || COLONI · ET · INCOLAE

fortasse oriundus erat Ventia Allobrogum oppido cf. Hübner adn.

n. 11.

X 6101. **FORMIIS.**

/_ · ARRIO · SALANO || PRAEF · QVINQ · TI · CAESARIS || PRAEF · QVINQ · NERONIS · ET · DRUS*i* · CAESARVM · DESIGNATO · TVB · SAC · P · R || AED · III · AVGVRI · INTERREG*i* || TRIB · MILIT · LEGION · III · AVGUST || LEG · X · GEMINAE · PRÁEF · EQVIT || PRAEF · CASTRÓR · PRAEF · FABR || OPPIA · VXOR

n. 12.

Murat 736,7. **REGII LEPIDI.**

T. POMPONIO. T. F. POL || PETRAE || AEDIL. II. VIRO. PRAEF. FABR. IIII || TRIB. MILIT. LEG. X. GEMIN || PRAEF. EQVITVM. PEAEF || // || GERMANICI CAESARIS. II VIR || QVINQ Q D D || PATRONO

n. 13.
V 4348. **BRIXIAE.**

C · PONTIO · C . . . ‖ PAELIGNO · TRIB · M . . . ‖ LEG · X · GEM · Q · CVR . . . ‖ LOCORVM · PVBLIC ‖ ITERVM · AED · CVR · ‖ LEGATO · PRO · PR · ITER ‖ EX · S · C · ET EX · AVCTORIT ‖ TI · CAESARIS · D *d*

cf. Borghesi Oeuvr. III p. 368, VI 47. Momms. R. g. d. A.² p. 180.

n. 14.
VI 3518 **ROMAE.**

Q · FABIO · Q · F · GAL · BLANDO ‖ TRIBVNO · MILIT · *le*GIONIS · IIII · MACEDONICAE ‖ ET · LEGIONIS · X · GEMINAE · IVLIA · *pie?* ‖ RIS · VXOR · EX · PECVNIA · QVAE · EI · LEGATA · EST · AD *faci* ‖ ENDVM · COMMVNEM · SIBI · ET · VIRO · SVO · *locum.*

n. 14 a. **POMPEIIS**
X 797. in cella aedis Jovis.

(Foramen in superficie.)

SP · TVRRANIVS · L · F · SP · N · L · PRO · N · FAB ‖ PROCVLVS · GELLIANVS · ‖ PRAEF · FABR · II · PRAIF · CVRATORVM · AL]EI ‖ TIBERIS · PRAIF · PRO · PR · I · D · IN · VRBE · LA]INIO ‖ PATER ' PATRATVS · POPVLI . LAVRENTIS . FOEDERIS · ‖ EX · LIBRIS · SIBVLLINIS · PERCVTIENDI · CVM · P · R ‖ SACRORVM PRINCIPIORVM · P · R · QVIRIT · NOMINIS ‖ QVE · LATINI · QVAI · APVD LAVRENTIS . COLVNTVR · FLAM ‖ DIALIS · FLAM · MARTIAL · SALIVS · PRAISVL · AVGVR · PONT · ‖ PRAIF · COHORT · GAITVL · TR · MIL · LEG · X ‖ LOC · D · D · D ·

alius eiusdem hominis titulus nuper repertus Lavinii cf. Momms. in Festsitzung des archäol. Instituts zu Rom vom 17. April 1885.

n. 15.
IX 3610. **AVEIAE.**

q. ATATINO · P · F · QVIR ‖ MODESTO ‖ TRIB · MIL · LEG · X · GEMINAE ‖ IN · HISPANIA · ANNIS · XVI ‖ PRAEF · ALAE · II · GALLOR ‖ IN EADEM · PROVINCIA ‖ PRAEF · FABR ‖ P · ATATINVS · FLACCVS ‖ PATRI · OPTIMO.

n. 16.
VI 1359. **ROMAE.**

L · BAEBIO · L · F ‖ GAL · AVITO ‖ PRAEF · FABR · TRIB ‖ MIL · LEG · X · GEM · PROC ‖ IMP · CAESARIS · VESPASIANI ‖ AVG · PROVINCIAE · LVSITANIAE ‖ ADLECTO · INTER · PRAETORIOS.

hunc titulum imitatus fecit falsarius tit. C. J. L. VI $_5$, 682 a.

n. 17.
Fabretti p. 197 n. 470 = Orelli 3382. **IN ARCE PALI**
inter rudera Portus Alsiensis.

P · METILIO · P · F · CLA · SECVNDO · PO . . . ‖ FRATRI · ARVALI · LEG · AVGVST · PRO . . . . . ‖ CVRATORI · OPERVM · LOCORVMQ · PVBLIC . . . . . ‖ IMP · CAESARIS · TRAIANI · HADRIANI · AVG ‖ LEG · III · AVG · ET · EXERCITVS · AFRICANI · LEG ‖ AVG · LEG · VI · CLA · P · ET · F · PR . . . . · TRIB ‖ IMP · CAESARIS · NERVAE · TR . . . . . RMANIC ‖ SEVIRO EQVITVM · ROMANO . . . . . · VNO · M . . . ‖ . . . . . · EMINAE · P · F · TRI . . . . . .

n. 18.

IX 4758. **IN SABINIS.**

p. PRIFERNIO ‖ P · F · QVI · PAETO ‖ MEMMIO · APOLLINARI ‖ IIII VIR IVR · DIC · QVINQ · MAG · IV ‖ PRAEF · COH · III · BREVC · TRIB · LEG · X ‖ GEM · PRAEF · ALAE · I · ASTVRVM · DONIS ‖ DONATO · EXPED · DAC · AB · IMP ‖ TRAIANO · HASTA · PVRA · VEXILLO ‖ CORONA · MVRALI · PROC · PROVINC · ‖ SICIL · PROC · PROVINC · LVSITAN · ‖ PROC · XX · HER · PROC · PROV · THRAC ‖ PROC · PROV · NORICAE ‖ P · MEMMIVS · P · F · QVI · ‖ APOLLINARIS ‖ PATRI · PIISSIMO.

n. 19.

VIII 9990 = Orelli 3570. **MAURETANIA TINGI.**

P · BESIO · P · F · QVIR · BETVINIANO ‖ C · MARIO · MEMMIÓ · SABINO ‖ PRAEF · COH · I · RAETORVM · TRIB · LEG · X · G · P · F ‖ PRAEF · ALAE · DARDANORVM · PROCVRATORI ‖ IMP · CAESARIS · NERVAE · TRAIANI · AVG · GERM · DACICI · ‖ MONETAE · PROC · PROVINC · BAETICAE · PROC · XX · HERED · PROC · PRO ‖ LEG · PROVINC · MAVRETANIAE · TINGITANAE · DONIS · DONATO · AB ‖ IMP · TRAIANO · AVG · BELLO · DACICO · CORONA · MVRALI · VALLARI · HASTIS · PVR · VEXILLO · ARGENT ‖ EXACTI · EXERCITVS.

n. 20.

VI 3505. **ROMAE.**

SEX · ATTIVS · SENECIO ‖ PRAEF · ALAE · *i* · FL · GAETVLORVM ‖ TRIB · LEG · X · GEMINAE · MISSVS ‖ A DIVO · HADRIANO · IN EXPEDI ‖ TIONE · IVDAICA · AD · VEXILLA ‖ *tiones deducendas in* . . . . . .

n. 21.

= VI 1523. **ROMAE.**

m. statio · M · F · CL · PRISCO ‖ *l*ICINIO · ITALICO · LEG · AVGVSTORVM ‖ PR · PR · PROV · CAPPADOCIAE · LEG AVG*g* ‖ PR · PR · PROV · BRITANNIAE · LEG · AVG*g* ‖ PR · PR · PROV · MOESIAE · SVPER · CVRATO*ri* ‖ ALVEI TIBERIS · ET · CLACARVM · VRBIS · C*os* ‖ LEG · AVG · PROV · DACIAE · LEG · LEG · XIII · G · P · F · LEG · LEG ‖ *x*IIII · GEM · MARTIAE · VICTRICIS · SACERDOTI · TITIALI ‖ *f*AVIALI · PR · INTER · CIVES · ET · PEREGRINOS · TR · PL · QVAES*t* ‖ PROC · AVG · XX · HEREDITATIVM · PROV · NARBONES · ET · AQVITA*n* ‖ *p*R · EQ · ALAE · I · PR · C · R · TRIB · MIL · LEG · I · ADIVTR · P · F · ET · LEG · X G · P · *f* ‖ *e*T · LEG · *iii* · GALLICAE · PRAEF · COH · IIII · LINGONVM · VEXILLO MI*l* ‖ *d*ONATO · A DIVO · HADRIANO · IN · EXPEDITIONE · IVDAIC*a* ‖ Q · CASSIVS · DOMITIVS · PALVMBVS

n. 22.

= VI 3544. **ROMAE.**

M · VLPIO PVTEOLANO ‖ L · TVSIDIO CAMPESTRI ‖ TRIBVNO · LEG · DECIMAE GEMI ‖ NAE

n. 23.

= III 4560. **PANN. SUP. VINDOBONAE.**

I · O · M · SARAPIDI ‖ PRO · SALVTE · IMP · L · SEPT · SEVERI ‖ PII · PERTINAC · AVG · ARABICI ‖ ADIABEN · PARTHICI · MAXIMI · ET ‖ IMP · M · AVRELI · ANTONINI · AVG ‖ *t. f*L · QVIRINALIS · MAXIMVS ‖ TRIB · MILIT · LEG · X · GEM ‖ P · F · V · S · L · M.

n. 24.

= III 4558. **PANN. SUP. VINDOBONAE.**

in dextro latere: NOM BB FE // ‖ LAVACI // O ‖ /VRAVLLAVS ‖ GE / MA //// ‖ F / AV // INVS ‖ SIBI // ‖ CO // ‖ / POTENS ‖ IVSTINVS ‖ OSIMSCOC ‖ *in fronte:* FORTVNAE CONSE ‖ GENIOQ HVIVS LOCI ‖ IN HONOR T EI / IIVN ‖ TIBERIANICI TR // MIL LEG X G P P FEC ‖ T CL VALENTINV/ ‖ CORNICVLLA/// ‖ EX VOTO /// VIC / ‖ V IAL IVN AEMILI / ‖ ET AQVILINO COS

„in sinistro latere nihil legere potui“ Clusius.

n. 25.

= Wilm. 1639 = Orelli 3100. **ARRETII.**

T · PETRONIO · T · F ‖ SAB · TAVRO VOLV ‖ SIANO V · *c* COS ‖ ORDINARIO · PRAEF · PRAET ‖ EM · V · PRAEF · VIGVL · P · V · TRIB ‖ COH · PRIMAE · PRAET · PROTECT · AVGG · NN · ITEM · TRIB · COH · IIII PRAET ‖ TRIB · COH · XI · VRB · TRIB · COH · III · VIG · LEG · X ‖ ET · XIIII · GEM · PROV · PANNONIAE SVPERIORI ‖ ITEM · LEG · DACIAE · PRAEPOSITO EQVITVM SIN ‖ GVLARIOR · AVGG · NN · PP · LEG XXX · VL ‖ PIAE · CENTVRIONI · DEPVTATO · EQ . PVB · ‖ EX V DEC · LAVR · LAVINATI ‖ ORDO ARRETINORUM PATRONO ‖ OPTIMO

n. 26.

= IX 4198. **AMITERNI.**

TI · ATTIO · T*i* · *f* · QVIR ‖ IVLIANO ‖ X · VIRO · STLITIBVS ‖ IVDIC · SEVIRO EQ ‖ ROMANOR · TRIB · MIL ‖ LEG · X · GEMINAE ‖ //\ · FABIVS · FABIANVS ‖ TRIB · MIL ·

n. 27.

= III 2026. **DALMATIA SALONIS.**

T · FLAVIO ‖ T · FIL · TRO · ‖ AGRICOLAE ‖ DECVR · COL · SAL · ‖ AEDILI · IIVIR · IVRE ‖ DIC · DEC · COL · AEQI ‖ TATIS · IIVIR · QQ · DISP ‖ MVNICIPI · RIDITAR · ‖ PRAEF · ET · PATRON · COLL · ‖ FABR · OB · MERITA EIVS COLL ‖ FABR · EX AERE CONLATO ‖ CVRATORI REI PVB · SPLONIS ‖ STARVM · TRIB · LEG · X · G · P · F ·

n. 28.

= II 4120. **TARRACONE.**

Q · GAR*g*ILIO . . . *fil* ‖ ARN · MACRO · A*c*IDINO ‖ IIIVIR · CAP · TRIB · MIL · *IEg* ‖ X · *gem* · QAEST · VR*b* · TRIB · PLEB ‖ PRAET · PROCOS · PROV · CRETAE · CYR*en* ‖ LICACOLLEA APRONALTIVMA VXOR

(„X gem.“ non certum supplementum esse videtur).

n. 29.

= V 4957. **CAMUNNIS.**

C · PLADICIVS · C · F ‖ QVIR · CASDIANVS ‖ II · VIR · I · D ‖ CAMVNNIS ‖ AEDIL · QVAEST ‖ PRAEF · I · D · BRIX ‖ *i* VDEX · EX · V · DEC · EQVO · P ‖ PRAEF · COH · I ‖ THRAC · EQVIT ‖ TRIB · MIL · LEG · X ‖ G · P · F ‖ A · RE · P · CAMVNNOR ‖ CVI · IN · HOC ‖ PECVNIAM · LEGAVIT ‖ T · P · I.

n. 30.

= IX 4059. **CARSIOLIS.**

//// TITIEDIO · FLACCO ‖ FIL · TR · MIL · II · LEG · X · GEM ‖ PRAEFECT · FABR · BIS ‖ IIII · VIR · IVR · DIC · QVIN.

n. 31.

= Henzen 5994 = Orelli 3770. **ASSISII VEL INTERAMNAE.**

VARIAE · L · F · GESTIANAE ‖ VXORI ‖ L · CALIDI · L · F · STEL · NIGRINI · IIII · VIR ‖ IVR · DIC · IIII · VIR · QVINQ · II · AVGVR · FLAMI ‖ NIS · AVG · PARENTIS · PATRONI · MVNICIPI ‖ FILIAE ‖ L · VARI · L · F · QVINTIANI · TRIBVNI MILITVM ‖ LEG · II ADIVTRICIS · TRIBVNI MILITVM ‖ LEG · X · GEMINAE · IIII · VIR · QVINQ · PATRO ‖ NI MVNICIPI ‖ MVNICIPES ET INCOLAE *a latere dextro* L . CALIDIO · L · F · STEL · NI ‖ GRINO ‖ FILIO · L · CALIDI · NIGRINI · PATRO ‖ NI · MVNICIPI ‖ NEPOTI ‖ L · VARI · QVINTIANI · PATRO ‖ NI MVNICIP *a latere sinistro* L · CALIDIO · L · F · STELLAT ‖ QVINTIANO *cetera ut in dextro latere — in imo lapide* L · D · D · D.

n. 32.
= X 336. **ATINAE.**

. . . . . *leg. leg* ‖ I · ADIVTRICIS · QVAES*t* · *tr*IBVNO · MILI*t* ‖ LEGIONIS · X · GEMINAE · IN · OMNIBVS ‖ HONORIBVS · CANDIDATO · CAESARVM ‖ TESTAMENTO · FIERI · CAVIT · EX · HS . . . . . .

n. 33. **GALLIA NARBON.**
= Murat. 874, 1 = Herzog n. 388. **REIS APOLLIN.**

////////// A /// SI ////////////// ‖ TRIBVNO · MIL · LEG · X · GEMIN ‖ ITEM LEG · XIII GEMIN . ‖ VRBANA · PLEBES ‖ PATRONO.

n. 34 et n. 35. **NORICUM**
= III 5702. loco incerto.

D · M . ‖ L · TAPVRIO · VESTALI ‖ ET · MERCVSENAE · CON ‖ IVGI · EIVS · L · TAPVRIVS ‖ FILIVS · X · LEG · TRIB ‖ PARENTIB · PIENTISS

